

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Martini Chemnitii, Doctoris Theologi celeberrimi, Harmonia Quatuor Evangelistarum

Quam ab Eodem feliciter inchoatam ... D. Polycarpus Lyserus, et D.
Johannes Gerhardus, ... Is quidem continuavit, Hic perfecit ; Opus
Eruditionis Stupendæ, Orthodoxorum consensu approbatum, idemque tot
Eruditorum desideriis adhuc expetitur

**Chemnitz, Martin
Leyser, Polycarp
Gerhard, Johann**

Hamburgi, MDCCIII

VD18 90617681

Caput CIII. Continens Tertiam Concionem Christi In Templo Ad Fideles,
Qvam Exceptit Concertatio Judæorum Adeo Acris, Ut Illi Lapides Contra
Jesum Sustulerint. Johan. 8. v. 31.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18203

Exod. 14. v. 25. cum hæreret in vorticibus maris Erythraei, cognovit, quis esset Jehova, cum clamaret: Fugiamus Israel, Jehova enim pugnat pro eis contra nos. Eodem modo Julianus Apostata Jesum Christum, humani generis Salvatorem, satis diu contemptum habuit, & pro fabri filio proclamavit: tandem tamen in acie vulneratus & jamjam infelicem animam efflaturus, cognovit eum DEI filium esse, & publice proclamavit: Vicisti tandem Galilæe. Ita in novissimo die agnoscent, tam Judæi quam Gentes, quem confixerunt. Zach. 12. v. 10. & cum dolore fatebuntur, se à veritatis via aberrasse, nec lumen justitiæ ipsis luxisse, nec solem intelligentiæ ipsis ortum esse. Sap. 5. v. 2.

Porro videamus etiam quomodo Judæi hanc uberiorem Christi explicationem & iteratam comminationem susceperint. Refert autem Evangelista duo diversa. 1. Stuporem & crassam cœcitate plerorumque, quod licet sapius mittentis & Patris sui mentionem fecerit: non tamen cognoverunt, quod de Patre cœlesti eis locutus esset. Res sane mira, quod illi, qui in rebus mundanis alias erant versutissimi, hic tamen, quæ satis perspicue & simplicissime ipsis proponebantur, intelligentia sua non assequerentur. Causa ejus est, quia innata malitia & præconcepti pravi carnis ipsorum affectus invidia item & odium adversus Jesum, sic mentem ipsorum excœcabant, ut videntes non viderent, & audientes non audirent, nec corde suo intelligerent, atque sic à Deo nec converterentur, nec sanarentur. Jes. 6. v. 10. Monet nos hoc Judæorum exemplum, ne in religionis negotio carnis affectibus in dulgeamus, sed à verbo Dei nos duci & regi patiamur, semper cum Davide ex 18. Psalm. v. 29. ingeminantes: Deus meus, illumina tenebras meas. Nec offendat nos, quod etiam hodie multi ex proceribus mundi tanta luce Evangelii non cognoscere volunt verbum veritatis: sed potius illud execrantur & persequuntur. Nimirum etiam ipsorum animi præoccupati sunt, vel tetricis erroribus, quos mordicus tuentur, vel carnis affectibus, mundanis dignitatibus & voluptatibus, quas deserere nolunt. Est ergo Ev-

angelium quidem Christi, tanquam verum Dei verbum in se lucerna nostris pedibus, & lumen semitis nostris. Ps. 119. v. 105. Quod autem idem Evangelium multis opertum est, opertum est in iis qui pereunt, in quibus Deus hujus seculi excœcavit mentes infidelium, ut non fulgeat ipsis Evangelium gloriæ Christi, qui est imago Dei. 2. Cor. 4. v. 3. licet autem hæc occœcatis fuerit Evangelica hæc concio Christi odor mortis ad mortem: aliis tamen etiam fuit odor vitæ ad vitam. 2. Cor. 4. v. 15.

Nam addit Johannes 2. *Hæc illo loquente, crediderunt multi in eum.* Hic est salutaris effectus concionis Christi, quod postquam diu multumque Christus verbo suo cum Judæorum incredulitate luctatus esset, tandem tamen aliqui, imo multi animum verbis ipsius applicuerint, iisque fidem habuerint. Nobis quidem hæc tantum scintilla fidei videtur. Evangelista tamen *fidei* titulo dignatur. Christus enim fidem, quantumvis modicam & exiguam non aspernatur, sed eam suscipit, fovet & salutaribus admonitionibus augere, atque provehere studet: ut jam nunc audiemus. Est enim benignus ille Dominus, de quo Jes. 42. v. 3. scribitur: quod calamus quassatum non conterat, nec linum fumigans extinguat. Exemplum hoc Christi verbi ipsius ministros informet, ut & ipsi tenuibus fidei principiis contenti sint, si illa, in suis auditoribus animadvertant. Illa principia læti suscipiant, sollicitè foveant, & fideliter ad soliditatem promoveant. Imo ex hoc Christi exemplo bene sperare discant, quod etiam inter obstinatos & induratos aliquos per DEI gratiam lucrifacere queant. Neque enim nunquam prædicatio verbi omni fructu caret: sed ubique locorum Deus suos habet, quos quando vult trahit & illuminat. Et licet interdum multi aranei confluant, qui venenum hauriunt ex prædicatione verbi: tamen etiam apes inveniuntur, quæ dulce mel sugunt ex floribus verbi divini. Ipsi ergo in docendo perseverent, cum hominum incredulitate & impietate fideliter luctentur: successum autem DEO commendent.

CAPUT CIII.

CONTINENS TERTIAM CONCIONEM CHRISTI IN TEMPO AD FIDELIS, QUAM EXCEPIT CONCERTATIO JUDEORUM A DEO ACERIS, UT ILLI LAPIDES CONTRA JESUM SUSTULERINT.

JOHAN. 8. v. 31.

RATIO ORDINIS.

HAnc concionem priorem illam non magno intervallo secutam esse, omnes circumstantiæ monstrant. Nam postquam Christus animadvertit, aliquos ex præcedenti concione fidem in se concepissem, mox, ut bonum hoc fidei opus in illis confirmaret, novam & peculiarem ad hosce neophytos concionem instituit: eosque, ut in fide ad finem us-

que perseverent, si salvi fieri velint, exhortatus est. Quia vero eandem hanc exhortationem mox interturbaverunt hostes suis interlocutionibus & contradictionibus: ideo eadem occasione ulterius differit de spiritali & servitute & libertate, de corruptissima omnium hominum natura, Satanæ seductione & suggestionem introducta, ejusque pravitatem imitante: de sua item passione, ejusque

Harm. Tom. I.

Yyyy 3

que verbi sui efficacia, cujus solius virtute homines extantis malis liberentur, & ad veram animi corporisque felicitatem adduci possint. Videbimus itaque ex hac Christi cum Phariseis acriore concertatione doctrinam Evangelii non posse semper placide proponi, sed interdum cum hostibus, præsertim contumacioribus, esse acriter de retinenda veritate concertandum: contra querimonias & accusationes eorum, qui indigne ferunt, si quando sinceri verbi ministri iusto zelo commoti, hostes suos pro dignitate acrius excipiunt. Cæteroque Christus ipse in suis concionibus erga omnes, etiam erga Phariseos, fuit blandus, ut sic ipsos ad agnitionem veritatis alliceret. Pharisei vicissim erga Christum, licet ex falso corde, blandis utebantur verbis, præsertim quando ipsum tentabant: Rabbi, dicebant, scimus quia veraces, & viam Dei in veritate doces. Matth. 22. v. 16. Hoc vero in loco longe aliter res peragitur. Pharisei enim hic Jesum non vocant Rabbi, sed acerbissime ipsum convitiantur, dicunt: *es Samaritanus & demonium habes*. Christus quoque, qui alias est mitissimus, & Jes. 42. v. 2. hoc testimonium habet: non clamabit, neque audietur vox ejus foris, ipsis non parcat, sed vocat *mendaces, filios diaboli*, & *qui morituri essent in suis peccatis*. Nec aspiciam in Evangelio acerbior *σύρραξις* vel concertatio inter Christum & Phariseos legitur, adeo ut hi tandem lapides sustulerint, iis Jesum obruituri, nisi is se abscondisset. Sed super quam re tam acerba exoritur concertatio? Super doctrina Christi. Hanc damnant Pharisei, & contra seniorum suorum traditiones urgent, quasi per eas vitam & salutem consequi possint, maxime quia *sint semen Abrahæ*, hoc est, vera Dei Ecclesia. Hoc Christus negat, & dicit ipsorum traditiones esse *tenebras*, ex *patre mendacii*, quibus homines spiritualiter occidant: nec ipsos veram esse Dei Ecclesiam, sed satanæ synagogam. Ergo super questione de Ecclesia & salvifica doctrina tanta exoritur contentio, ut verbis non possit res transigi, sed ad lapides proruerint. Certamen itaque

de vera Ecclesia non est novum, sed inde à Caino hucusque duravit. Et hostes verbi, licet in aliis causis simulent familiaritatem, & satis commodos se præbeant: tamen quando devenitur ad questionem de Ecclesia, ibi virus cordis erumpit. Verbi gratia. Jesuita, quantam comitatem & humanitatem etiam erga Evangelii doctores præ se ferunt, ubi de literis bonis, de linguis, & historiis prophanis sermo est? Sed quando purior Evangelii doctrina proferitur: quando docetur, hominem non ex operibus, sed ex gratia Dei per fidem in Jesum Christum solam justificari: quando Pontifex Antichristus dicitur, & ejus sectatores Antichristiana Ecclesia vocantur; aut saltem ipsorum coetus vera Christi Ecclesia esse negatur: ibi tum furor ipsorum accenditur, ibi pluit & ningit convitiis. Non minus idem faciunt Sacramentarii: qui admodum blandi & humani esse videntur, si de reliquis articulis, qui inter Nos & pontificios controversi sunt, agamus. Sed si ipsorum glossas sacramentarias rejiciamus, protinus excalescunt, & irritati sibi à convitiis non temperant, Nos sarcophagos, Thyestas, sanguifugas, Ubiquistas, & nostrum sacramentum satanæ excrementum vocitantes. Quid hic faciendum? num tacendum? num contumelia ferenda? Mundus quidem hoc à nobis postulat, & vult, ut blanda & mellita verbe reponamus. Et si vicissim hostes veritatis acriter excipiamus, offenduntur. Sicuti multi offensi sunt vehementia Lutheri adversus quosdam Pontificios & Zuingianos. Sed ex Christi exemplo discimus, non posse hostes semper blande tractari, sed iusta vehementia & acrimonia esse rejiciendos, ne se nimium metui putent, sed ut iustis modi excepti, vel tandem turpitudinem suam agnoscant. Ideo etiam Paulus vult sinceram Ecclesiam doctorem, non tantum potentem esse exhortari per sanam doctrinam, sed etiam *συνειλιζοντας* *ελεγχοντες* contradicentes. Tit. 1. v. 6. imo eos *σπρωγνισκειν*, ipsis os obturare, v. 11. Hæc præmittenda fuerunt, ne quisquam insolita Christi vehementia offendatur.

EXHORTATIO CHRISTI AD CREDENTES, CUM SUBSEQUENTE ACRI CONCERTATIONE CUM PHARISÆIS. JOAN. 8.

31. Ελεγω ἔν ὁ Ἰησῆς πρὸς τοὺς πεπιστευκότας αὐτῷ Ἰουδαίους· Ἐὰν ὑμεῖς μείνητε ἐν τῷ λόγῳ τῷ ἐμῷ, ἀληθῶς μαθηταὶ μὲ ἐστέ.
 32. Καὶ γνώσετέ τινα ἀλήθειαν, καὶ ἡ ἀλήθεια ἐλευθερώσῃ ὑμᾶς.
 33. Ἀπεκρίθησαν αὐτῷ σπέρμα Ἀβραάμ ἐσμῆν, καὶ ἐδεδουλεύκαμεν πάποτε· πῶς οὐ λέγῃς, οὗ ἐλευθερώσῃ ἡμεῖς;
 34. Ἀπεκρίθη αὐτοῖς ὁ Ἰησῆς· ἀμὲν, ἀμὲν, λέγω ὑμῖν, ὅτι πᾶς ὁ ποιῶν τὰ ἁμαρτίας, δούλος ἐστὶ τοῦ ἁμαρτωλοῦ.
 35. Ὁ δὲ ἀληθὺς υἱὸς τῆς οἰκίας ἐστὶν αἰῶνα. ὃς μὲν εἰς τὸν αἰῶνα.
 36. Ἐὰν οὖν ὁ υἱὸς ὑμῶν ἐλευθερώσῃ, οὕτως ἐλευθεροῦ ἐσεσθε.
 37. Οἶδά, ὅτι σπέρμα Ἀβραάμ ἐστε, ἀλλὰ ζητεῖτέ με διαποικτεῖναι, ὅτι ὁ λόγος ὁ ἐμὸς οὐ χωρεῖ ἐν ὑμῖν.

31. Dicebat ergo Iesus ad eos, qui crediderunt ipsi, Judeos, si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei estis.
 32. Et cognoscetis veritatem, & veritas liberus reddet potestatem.
 33. Responderunt ei: Semen Abraham sumus, nequam servivimus unquam: quomodo tu dicis liberi reddemini?
 34. Respondit eis Iesus: Amen, amen, dico vobis, quod omnis, qui facit peccatum, servus est peccati.
 35. Servus autem non manet in domo in æternum, filius manet in æternum.
 36. Si ergo vos filius liberus reddiderit, vere liberi estis.
 37. Scio, quod semen Abraham estis, sed queritis me interficere, quia sermo meus non habet locum in vobis.

38. Ergo

38. Εγώ δ' εώρακα τὸ πρόσωπον τοῦ πατρὸς μου, λαλῶ. καὶ ὑμεῖς ἐν, ὁ εώρακατε τὸ πρόσωπον τοῦ πατρὸς ὑμῶν, πιστεῖτε.

39. Απεκρίθησαν καὶ εἶπον αὐτῷ Ὁ πατήρ ἡμῶν Ἀβραάμ δὲ λέγει αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς· Εἰ τέκνα ἔσθε Ἀβραάμ ἡτε, καὶ ἔργα ἔσθε Ἀβραάμ ἐπιτεῖτε αὐτῷ.

40. Νῦν ζητεῖτέ με διακτεῖναι, ὡς ἔρωπον, ὅς τίς ἀληθεῖαν ὑμῖν λελάληκα, καὶ ἡκούσατε τῶν ἔργων ἔσθε, καὶ τὸ ἔργον Ἀβραάμ οὐκ ἐποίησαν.

41. Ἰμεῖς πιστεῖτε πᾶν ἔργον ἔσθε πατρὸς ὑμῶν. Εἶπον ἐν αὐτῷ ἡμεῖς ἐκ πορνείας ἔσθε γεννημένοι. ἕνα πατέρα ἔχομεν, τὸ θεόν.

42. Εἶπεν αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς· Εἰ ὁ θεὸς πατήρ ὑμῶν λέγει, ἡραπατήρ αὐτῶν ἐμεῖς ἐγώ γάρ ἐκ τοῦ θεοῦ ἐξῆλθον καὶ ἦκα. ἔσθε γὰρ ἀπ' ἐμαυτῶν ἐληλυθῆσθε, ἀλλ' ἐκείνός με ἀπέστειλε.

43. Διὰ τί τίς λαλεῖ πρὸς ἐμὲ καὶ οὐκ ἀγνοῖτε; ὅτι ἐὰν ἀπακούσῃτε ἀκούσαντες τὸν λόγον τῶν ἐμῶν.

44. Ἰμεῖς ἐκ πατρὸς ἔσθε διαβόλου ἔσθε, καὶ πατρὸς ἡμιθυμίας ἔσθε πατρὸς ὑμῶν θέλετε ποιεῖν. ἐκείνῳ ἀνθρώπων ἔσθε, καὶ ἀπ' ἀρχῆς, καὶ ἐν τῇ ἀληθείᾳ οὐκ ἐσηκηνόησθε ἐν ἀληθείᾳ ἐν αὐτῷ. ὅταν λαλήσῃ ψευδῶς, ἐκ τῶν ἰδίων λαλεῖς, ὅτι ψεύστης εἶμι, καὶ ὁ πατήρ αὐτοῦ.

45. Εγώ δ' οὐκ ἀληθεῖαν λέγω, ἔσθε πιστεύετε μοι.

46. Τίς ἐξ ὑμῶν ἐλέγχει με περὶ ἁμαρτίας; εἰ ἢ ἀλήθειαν λέγων, Διὰ τί ὑμεῖς ἔσθε πιστεύετε μοι;

47. Ὁ ἀνὴρ ἐξ ἑστέ, περὶ ἡμαρτίας ἔσθε ἀκούσας ἡμῶν οὐκ ἀκούετε ὅτι ἐκ τοῦ θεοῦ ἐκ ἐστῆ.

48. Απεκρίθησαν ἐν οὖν Ἰσδαλοὶ καὶ εἶπον αὐτῷ· καλῶς λέγουμεν ἡμεῖς, ὅτι Σαμαρείτης ἡσὺ, καὶ δαίμονιον ἔχεις.

49. Απεκρίθη ὁ Ἰησοῦς, ἐγὼ δαίμονιον οὐκ ἔχω, ἀλλὰ τιμὴν τῶν πατέρων μου, καὶ ὑμεῖς ἀμάρτετε με.

50. Εγώ δ' ἐζητῶ τὴν δόξαν μου, ἐστὶν ὁ ζητῶν καὶ κρίναν.

51. Ἀμὲν, ἀμὲν, λέγω ὑμῖν, ἐὰν τις τῶν λόγων τῶν ἐμῶν τηρήσῃ, ζήσεται καὶ μὴ θνήσκει εἰς τὸν αἰῶνα.

52. Εἶπον ἐν αὐτῷ οἱ Ἰσδαλοὶ· Νῦν ἐγνωκαμεν, ὅτι δαίμονιον ἔχεις; Ἀβραάμ ἀπέθανεν, καὶ οὐκ ἀποφθίσει, καὶ σὺ λέγεις, ἐὰν τις τῶν λόγων μου τηρήσῃ, οὐκ θνήσκει εἰς τὸν αἰῶνα.

53. Μὴ σὺ μεῖζων εἶ ἔσθε πατρὸς ἡμῶν Ἀβραάμ, ὅστις ἀπέθανεν; καὶ οὐκ ἀποφθίσει ἀπέθανον. τίνα σεαυτὸν σὺ ποιεῖς;

54. Απεκρίθη Ἰησοῦς· Ἐὰν ἐγὼ δοξάζω ἐμαυτὸν, ἡ δόξα μου ἐξ ἐν ἑστέ. ἐστὶν ὁ πατήρ μου ὁ δοξάζων με, ὃν ὑμεῖς λέγετε, ὅτι θεὸς ὑμῶν εἶμι.

55. Καὶ οὐκ ἐγνώκατε αὐτόν. ἐγὼ δ' οἶδα αὐτόν. καὶ ἐὰν εἶπω ὅτι οὐκ οἶδα αὐτόν, ἔσομαι ὡς ὑμεῖς ὑμῶν ψεύστης ἀλλ' οἶδα αὐτόν καὶ τὸν λόγον αὐτοῦ τηρῶ.

56. Ἀβραάμ ὁ πατήρ ὑμῶν ἠγαλλίασεν, ἵνα ἴδῃ τὴν ἡμέραν τὴν ἐμὴν, καὶ εἶδε, καὶ ἐχάρησεν.

57. Εἶπον οὖν οἱ Ἰσδαλοὶ πρὸς αὐτόν· Πειτηκονεῖς εἶπες ὡς ἔχεις, καὶ Ἀβραάμ εώρακας;

58. Εἶπεν αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς· Ἀμὲν, ἀμὲν, λέγω ὑμῖν, περὶν Ἀβραάμ ἠνεόθη, ἐγὼ εἰμι.

59. Ἦσαν οὖν λίθοι, ἵνα ἐβαλοσιν ἐπ' αὐτόν· Ἰησοῦς δ' ἐκρύβη, καὶ ἐξῆλθεν ἐκ τοῦ ἱεροῦ, διελθὼν διὰ μεσσηνίας, καὶ παρηγόρησεν αὐτούς.

38. Ego quod vidi apud patrem meum, loquor. Et vos igitur, quod vidistis apud patrem vestrum; facitis.

39. Responderunt et dixerunt ei: Pater noster Abraham est. Dicit eis Jesus, si filii Abraham essetis, opera Abraham faceretis.

40. Nunc autem queritis me interficere, hominem, qui veritatem vobis locutus sum, quam audivi a Deo. Hoc Abraham non fecit.

41. Vos facitis opera patris vestri. Dixerunt ergo ei: nos est stupro non sumus nati, unum patrem habemus Deum.

42. Dixit eis Jesus: si Deus pater vester esset, diligeretis utique me. Ego enim ex Deo exivi, et venio. Neque enim a meipso veni, sed ille me misit.

43. Quare loquelam meam non agnoscitis? Quia non potestis audire sermonem meum.

44. Vos ex patre diabolo estis, et desiderii patris vestri vultis obsequi. Ille homicida erat ab initio, et in veritate non stetit, quia non est veritas in eo. Cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est, atque ejus rei pater.

45. Ego autem, quia veritatem dico, non creditis mihi.

46. Quis ex vobis arguit me de peccato? Si vero veritatem dico, quare vos non creditis mihi?

47. Qui ex DEO est, verba Dei audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.

48. Responderunt ergo Judaei, et dixerunt ei: Non bene dicimus nos, quod Samaritanus es tu, et demoniam habes?

49. Respondit Jesus: Ego demonium non habeo, sed habeo honorem patris mei, et vos ignominiam afficitis me.

50. Ego autem non quero gloriam meam, est qui querat et judicet.

51. Amen, amen, dico vobis, si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in aeternum.

52. Dixerunt ergo illi Judaei, nunc cognovimus, quod demonium habes? Abraham mortuus est et propheta, et tu dicis, si quis sermonem meum servaverit, non gustabit mortem in aeternum.

53. Nunquid tu major es patre nostro Abraham, qui mortuus est? et propheta mortui sunt: quem teipsum tu facis?

54. Respondit Jesus, si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est. Est pater meus qui glorificat me, quem vos dicitis, Deum vestrum esse.

55. Et tamen non cognovistis eum, ego autem novi eum. Et si dixerero, quod non noverim eum, ero similis vestri mendax: Sed novi eum, et sermonem ejus servo.

56. Abraham pater vester exultavit, ut videret diem meum, et vidit, atque gavisus est.

57. Dixerunt ergo Judaei ad eum, quinquaginta annos nondum habes, et Abraham vidisti?

58. Dixit eis Jesus: Amen, amen, dico vobis, antequam Abraham nasceretur, Ego sum.

59. Tollebant ergo lapides, ut jacerent in eum. Jesus autem absconditus est, et exivit de templo, pertransiens per medium illorum et ita praeiit.



Periocha hujus exhortationis.

Christus in se credentes ad constantiam exhortatur, his verbis utitur: *Si in sermone meo manseritis.* Hypothetice admonitionem suam proponit, ut perseverantiæ necessitatem innuat. Hæc enim si absit, primæ fidei labor omnis erit frustraneus & inanis. Sicut enim aratio, satio, ac plantatio omnis est supervacanea, si fruges non probe custodiantur, quo ad maturitatem perveniant, sicque fructus in usum hominis veniat: quemadmodum item non satis est fundamentum aliquod ædificii posuisse, si tota structura non absolvatur, & domus habitationi commoda efficiatur: ita nisi fides, per semen verbi in animis hominum plantata, fideliter custodiatur, & continuis meditationibus atque exhortationibus ita confirmetur, ut per Dei gratiam credentes stabiliantur, roborentur, fundentur & absoluti reddantur, 1. Pet. 5. v. 10. & sic *maneant* in fide: primus labor plantationis omnis erit inanis & irritus. Cæterum, quia non omnis perseverantia est laudabilis, sed tantum ea, quæ est in bono: ideo addit manendum esse *in suo sermone.* Jesuitæ, Calviniani, Anabaptistæ, hæretici, phanatici singuli pertinacissime in hærent suis opinionibus: nihilo tamen sunt laudabiliores. Siquidem illa ipsorum immutabilitas pertinacia potius est, quam perseverantia, dum suas glossas humanas & præconcepas opiniones præferunt *sermoni Christi.* Illi autem *in sermone Christi manent*, qui verbum Evangelii libenter audiunt, diligenter meditantur, fideliter custodiunt, vitam suam secundum ejus præscriptum instituunt, nec se omni vento doctrinæ in nequitia hominum circumferri patiuntur. Monet Christus hoc suo exemplo omnes fideles Ecclesiarum pastores, non satis esse, si semel inchoent fidem in pectoribus suorum auditorum nisi etiam assiduis commonefactionibus eam foverint, & quantum in ipsis est, ad perfectionem adduxerint. Hac de causa Apostolus Paulus ad Corinthios scribens plantationi rigationem adjunxit, per quam Deus det incrementum. 1. Cor. 3. v. 7. Et in hunc finem ministerium verbi à Deo est institutum, prout Paulus testatur Ephes. 4. versicul. 12. ubi testatur Christum adhuc hodie ministros dare, ad consummationem sanctorum, & ad ædificationem corporis ipsius, donec omnes occurramus in unitatem fidei & agnitionis filii Dei. Attendant autem simul pastores, quod neophyti & infantes in fide plerumque adhuc sint infirmi, & proinde mitioribus promissionibus potius ducendi, quam vi adigendi, ne fidei illa initia nimia importunitate rursus excutiantur. Hinc prodierunt blandæ illæ Apostolorum compellationes, quibus nuper natos infantes instar matrum blandissime sunt allocuti: Filioli mei. Galat. 4. versic. 19. 1. Johan. 2. versic. 1. & sæpius per illam epistolam. Et 1. Corinth. 3. versic. 1. loquor vobis, tanquam parvulis, in Christo: lac vobis potum dedi, non escam. Nam revera duriores comminationes legales adhibendæ sunt obstinatis & præfractis, ut vel primum convertantur & ad agnitionem miseræ suæ adducantur, vel quando deviarunt, in viam reducantur. Blan-

dis autem promissionibus infirmiores sunt alliciendi: sicuti jam in Christo & videbimus & audiemus.

Etenim tria is beneficia pollicetur *manentibus in suo sermone*, sive perseverantibus in fide. 1. Primum beneficium: *vere discipuli mei estis.* Distinguit ergo Christus inter suos sectatores, & dilerte testatur, instabiles illos: quales fuere illi, de quibus Joh. 6. v. 66. audivimus, non *ἀληθῶς* sive *vere* suos discipulos esse. Quemadmodum enim in scholis humanioribus non statim pro discipulo habetur, qui unam aut alteram lectionem in disciplina aliqua audit, sed qui constanter in addiscenda ea hæret, & longo tempore assiduus scientiæ alicujus auditor est: ita quoque in schola Christi ille demum verus ejus discipulus est, qui in doctrina Evangelii ad finem usque vitæ suæ perseverat. Hanc ad rem requiritur assidua & diligens attentio in audiendo sermone Christi, ad hæc cordis sinceritas, ut quis non pro forma & hypocritice, quo hominibus fucam faciat, Evangelium amplectatur, sed ut ex vero & sincero corde in eo salutem quærat.

2. Alterum beneficium est: *Et cognoscetis veritatem*, hoc est, assiduos progressus facietis in cognitione veritatis. Sed cujus veritatis? Nulla est scientia, quæ non profiteatur veritatem aliquam, Sed nos hic quærimus eam veritatem, quæ hominem salvum & beatum facere possit. Hoc quidem olim Philosophi polliciti sunt suis sectatoribus, sed vanitatem potius & varios errores ipsis obtruserunt. Moses quoque hanc veritatem non monstravit, sed eam potius variis umbris delineavit & involvit. Imprimis Scribæ & Pharisei apud Judæos veritatis cognitionem professi sunt, per suas legis interpretationes & patrum traditiones, si-bi-ipsis persuadentes, ut de ipsis scripsit Paulus Roman. 2. versic. 19. se esse duces cæcorum, lumen eorum qui in tenebris sunt, eruditores insipientium, magistros infantum, habentes formam scientiæ & veritatis in lege. Et quidem ipse quoque Paulus satis diu in ea persuasionem hæsit, quod Pharisei tales essent, unde ipse quoque illi sectæ nomen dedit. Sed postea demum deprehendit, illam doctrinam detrimentum esse, respectu eminentiæ cognitionis Domini Jesu Christi, Philip. 3. versic. 8. Itaque Christus hic per *veritatis cognitionem* nihil aliud intelligit: quam seipsum & veræ salutis doctrinam, cujus ipse auctor & Magister est. Sic ergo suis auditoribus pollicetur, si in doctrina sua constanter perseverent, ipsorum intellectum, qui natura laborat ignorantia veritatis, recte illuminatum iri: imo ipsos identidem majores in cognitione salutis progressus facturos, & tandem re ipsa atque in *veritate* experturos, se non frustra in ipsum credidisse, & divina atque cœlestia ab ipso sperasse, siquidem suo tempore re ipsa exhibere velit, quæ jam verbis promittit. 3. Tertium beneficium est: *Et veritas liberos reddet vos.* Non intelligit *libertatem* civilem, quæ ipsa tamen in rebus humanis quoque pro maximo bono semper habita est: & vice versa servitus à sapientibus viris æstimata est pro extremo malorum, ipsa morte duriore. Sed intelligit *libertatem* spiritualem, quæ

qua opponitur spirituali servituti, in qua omnes jam post tristem lapsum natura hæremus, quæ facit, ut præter intellectus nostri cœcitate & ignorantiam, qua in rebus divinis, ut modo audivimus, natura laboramus, etiam voluntas ad omnia bona depravata, adeoque omnes nostræ vires ita sint corruptæ, ut captivati in legem peccati, quæ est in membris nostris, Roman. 7. 23. quasi funiculis & laqueis diaboli ad ipsius voluntatem, 2. Tim. 2. v. 26. per omnium malorum genus trahamur ad mortem & æternam damnationem. Sicuti de hac servitute Christus in sequentibus pluribus disse- ret. Hic ergo Christus pollicetur iis, qui constan- ti fide verbo ipsius adhæserint, & ad finem usque perseverarint, eos vel tandem in veram libertatem assertos iri, & recuperaturos pristinam illam liber- tatis dignitatem, quam Adamus peccando ami- serat: Quæ libertas non mutat statum fortuna, eximens corpus è potestate Domini, sed animum liberat à vitiis, à pravis concupiscentiis, à jugo legis, à servitute humanarum traditionum, à metu mortis, à tyrannide diaboli. Hanc libertatem præ- stat veritas Evangelii, quæ docet, ceremonias legis tantum umbras fuisse, ac proinde rebus ipsis exhibitis, eas removendas: docet, omnia, quæ caro concupiscit, plane esse noxia: docet, quanta gra- tia & bonitate DEUS nos immerentes persecutus sit, atque sic nos vicissim ad amorem Dei provo- cat, qui amor, accedente Dei spiritu, pravas carnis concupiscentias superat, & efficit, ut homo prom- pte, quæ voluntatis sunt divinæ, exequatur. Hæc præstans homo, vere liber est & ingenuus. Sic ergo veritatis cognitio nos libertos facit Dei, sicut veri ignorantia servos peccati.

Docet nos hæc Christi concio, quinam sint *ym- cius* & vere Christiani. Nam qui olim tempore Christi *discipuli* dicti erant, illi postea, crescente eorum numero, Actor. 11. v. 26. Antiochiæ *Christiani* cognominari cœperunt. Hisce vero Chri- stus hic tres notas attribuit, si *ἀληθῶς* & *verè* Chri- stiani esse velint: innuens eos, qui hisce notis des- tituantur, posse quidem nominetenus de *discipula- rum* seu Christianorum titulo gloriari, se tamen eos pro veris non agnoscere. 1. Prima nota est, *in sermo- ne Christi manere*: ejus manifestato verbo firma fide adherere: neque ad dextram, neque ad sinistram deflectere: ei nihil addere, nihil detrudere. Si enim in Scholis humanis Platonius non est, qui à Pla- tonicis placitis recedit: & pro Aristotelico non habetur, qui ab ejus doctrina dissentit: ita in Schola Christi, quis pro Christianis agnoscat eos, quo- rum dogmata *διὰ τὴν πίστιν* à sermonibus Christi dissentiant? Hinc judicent prudentes, pro qua- libus Christianis habendi sint Pontificii, qui fere in omnibus articulis fidei Christianæ contrariam sententiam à doctrina Christi tenent. Christus vult nos credere: Pontifex jubet nos dubitare. Christus docet unum Deum invocare: Pontifex omnes Divos cœlites & Divas adorandos propo- nit. Christus in sua obedientia, passione & merito justitiam & salutem monstrat: Pontifex operibus eam acquiri vult. Christus unicum caput & spon- sus Ecclesiæ esse & haberi vult: vicissim Pon- tifex se pro ejusdem capite & sponso venditat. Christus in cœna sub pane suum corpus comedere, & sanguinem ex calice bibere jubet: Pontifex

sacramentum mutilans Laicis calicem sacrilege suffuratur. Et sic deinceps Pontifex in omnibus articulis à *sermone Christi* recedit, prout in hac tanta Evangelii luce omnibus à Deo doctis notum, nec opus est pluribus hæc illustrare. Inter hos omnes deterrimi sunt Monachorum ordines, qui quasi abjurato *Christi* nomine, Augustiniani, Ambrosiani, Benedictini, Bernhardini, Carmelita, Dominicani, Franciscani, Ignatiani sive Lololita, quam *Christiani* dici malunt. In quorum patrono- rum regulas etiam jurant, illisque plus perfectionis quam *sermoni Christi* attribuunt.

Quod nunc de Pontificiis dictum est, idem de Anabaptistis, Calvinianis, Huberianis, Schvvenckfeldianis & aliis sectariis sive phanaticis sentien- dum est, quod quatenus à *sermone Christi* disce- dunt, & proprii ingenii glossæ fidunt, eate- nus non sint *veri discipuli* Christi: & nisi mature ante obitum suas glossas abjiciant, & uni verbo Christi sese rursus subjiciant, ipse eos non pro veris suis discipulis agnoscat. 2. Altera nota est, ut *veritatem cognoscant*, & quotidiana fidei & cog- nitionis Christi incrementa sumant. Neque enim cuiquam hominum, ut nec ipsis Apostolis, statim primo die plena cognitio mysteriorum regni Christi obtigit: imo in tota hac vita illam perfectionem non consequimur: siquidem ex parte tantum cognoscimus, 1. Corinth. 13. v. 12. & Paulus ipse, cum jam per multos annos in Apostolatu ver- satus esset, tamen fateretur, se nondum comprehen- disse omnia, neque perfectum esse. Phil. 3. v. 12. Ad- dit tamen, se persequi, ut adhuc comprehendat, & scopum versus ferri, ad cognoscendum Christum, & virtutem resurrectionis ejus, & communionem passionis ejus. Ergo veri Christiani operam dent, ut quotidie in veritatis agnitione proficiant. Quam ad rem opus esse assidua verbi divini lectione, au- ditione, meditatione, Psal. 1. v. 2. continuis item precibus, ut verus Christianus quotidie cum Da- vide dicat, Psal. 25. v. 4. Vias tuas Domine demon- stra mihi, & sentias tuas edoce me. Item cum A- postolis, Luc. 17. v. 5. Domine adauge nobis fidem. Hinc judicare licet, pro qualibus Christianis ha- beri debeant illi, qui in doctrina fidei semper ma- nent, ut vulgo dicitur, *Johannes in eodem*: vel ut Paulus loquitur, qui semper discentes, nunquam tamen ad veritatis cognitionem pervenire pos- sunt. 2. Tim. 3. v. 7. Tales sunt fere illi, qui vel in scholis hæreticorum desident, per quos subinde magis magisque à veritatis cognitione abducuntur, vel in schola Christi, nulla attentione, nulla ardenti Christi invocatione utuntur. Nam licet in scholis hominum illi discipuli, qui stupido & hebeti ingenio præditi sunt, parum proficiant, ut- cunque eruditissimo & diligentissimo præcepto- re utantur: in Christi tamen schola res longe aliter est comparata. Ibi enim licet natura infelici ingenio præditi, & ineptissimi simus, ad disciplinam ejus capessendam: hic tamen Dominus & inter- nus Doctor potens est, efficere ex repugnantibus consentientes, ex indocilibus dociles, ex ineptis aptos, ut sic vere sint *θεοδιδάκτοι*, sicuti Joh. 6. v. 45. dixit. 3. Tertia nota vere Christianorum est, *per veritatem liberum reddi*, hoc est, libertatem partam sibi applicare, eaque frui. Etenim Dei filius homo factus, atque sic redemptor & liberator noster

noster factus, passionis, mortis & resurrectionis suæ merito cœlestem libertatem omnibus acquisivit: antiquo serpenti caput contrivit, peccata hominum expiavit, mortem devicit, inferorum portas confregit, sicque victos suos emisit de lacu in quo non est aqua Zach. 9. v. 11. Eandem libertatem per verbum *veritatis* Evangelicæ omnibus annunciari curat: & quicumque hoc simplici fide suscipiunt, illorum intellectus illuminatur, ut discussis errorum tenebris, *veritatis* doctrinam amplecti & sectari incipiant, ut in præcedenti nota dictum. Sed *veritatis* operatio hic non subsistit, quin Christus per verbum *veritatis* corda credentium regenerat, Spiritum sanctum pectoribus eorum inserit, cujus virtute nova creatura fiunt in Christo, 2. Cor. 5. v. 17. & Gal. 6. v. 16. in qua voluntas sese subjicit præceptis Dei, & omnia Christianorum membra novis viribus instruit, ut bonis operibus præsent ad usus necessarios, ut non sint *ἀναργμοι*, Tit. 2. v. 14. sed *πλουργοι*, ut membra sua exhibeant servire justitiæ, in sanctificationem, Rom. 6. v. 19. sicut prius servierant immunditiæ & iniquitati. Ex hac nota colligere possumus pro qualibus Christianis habendi sint illi, qui dissolutionis vitæ licentiam apud Evangelium quærunt, atque sic faciunt, ut propter ipsos Evangelium Christi male audiat apud incredulos. Christus enim nos in libertatem filiorum Dei vindicans, non dedit nobis privilegium turpitudinis, ut pro carnis arbitrio vitam transigamus: sed vult, ut liberati de manu inimicorum nostrorum, ipsi serviamus, in sanctitate & justitia coram ipso, omnibus diebus nostris. Luc. 1. vers. 74. Ideo per Apostolum Petrum nos monet, 1. Pet. 2. v. 16. ut vivamus quasi liberi, & non quasi velamen habentes malitiæ libertatem, sed sicut servi Dei, quo obmutescere faciamus imprudentium hominum ignorantiam.

Hæc tres notas si conjungamus, videbimus, quam arctus sit numerus *verorum Christianorum* in mundo. Multi enim eo titulo gloriantur: sed pauci, quod res est, expriment. Plerique speciem quidem habent Christianismi: sed virtutem ejus abnegant. 2. Tim. 3. v. 5. Quisque ergo viderit, ut fidem & vitam suam ita instituat, quo pro vero Christiano agnoscat. Quod solus & unicus Christus Jesus servator noster, per spiritus sui gratiam, si eo nos donet, præstare potest. Sicut hoc agnovit Apostolus Paulus. Etenim postquam naturalis corruptionis suæ & spiritualis hujus servitutis sensu ac consideratione percussus serio exclamasset: Rom. 7. v. 24. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Mox tamen ipse sibi respondet: Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum.

Acris concertatio Phariseorum cum Christo in templo, ex præcedente sermone orta.

Quod Deus mox in Paradiso Gen. 3. v. 15. prædixit, se inimicitias positurum inter semen mulieris & inter serpentem, illud tum alibi in Evangelica historia, tum maxime in hoc 8. Johan. capite, in Christo impletum esse deprehendimus. Diligenter admodum enim Johannes hanc Christi cum Phariseis concertationem descripsit. Partim, ut omnes Christi sectatores hinc colligere discant, quid ipsis in mundo sit expectandum: illud nimirum, quod hoc disticho Prospero continetur:

*Nunquam bella piis, nunquam certamina desunt,
Et cum quo certet mens pia, semper habet.*

Partim ut ex hoc congressu hostium veritatis ingenium & mores agnoscere, & simul ipsi quoque imperterrito animo cum ipsis congressi discamus utad minimum non offendamur, si ab aliis istud fieri videamus. Quapropter operæ precium fecerimus, si attente observaverimus, quibus argumentis & rationibus Pharisei tam personam quam doctrinam Christi oppugnarint: quomodo ex integro contextu sermonis Christi interdum unicam aliquam voculam arripuerint, illam in peregrinum sensum traxerint, sophisticationibus suis eluferint, irrisionibus exagitarint, calumniati sint, & tandem aperta atque injusta vi lapidibus opprimere eam conati fuerint. Hoc enim si probe attenderimus, minus offendemur disputationibus & sophisticationibus Pistorii Apostatae, Grezeri, Tanneri & aliorum ex Lojolitica secta contentiosorum scriptorum: qui pari artificio, variis strophis, sophismatibus, cavillis & calumniis, Evangelicorum ministrorum tum personam tum doctrinam traducerent solent, donec tandem ad fortissima sua argumenta, quemadmodum *Judei ad lapides*, ita ipsi ad tria F. Flammati, Funem, Ferrum progrediantur.

Nec mirum est ipsos ita tumultuari: quia satanas *ipsorum pater* in ipsis agit, eosque permovet, ut *ipsum opera faciant*. Sentit nimirum is è cœlo adesse fortem illum herosa, qui miseris mortales ex infernalibus erroribus erueret & liberare atque in regnum veritatis adducere velit. Ac proinde omnibus suis, quibus præditus est, viribus, sese opponit. Sed suo tempore dignas poenas cum suis luet. Nos jam judæos cum Christi concertantes audiamus.

I. Initio Judæi contendendi occasionem inde arripiunt, quod Jesus, fideles & in se credentes Judæos ad constantem in fide perseverantiam exhortando, inter alia dixerat, *veritas vos liberos reddet*. Hoc interpretantur, quasi contra communem totius generis dignitatem dictum esset. Inquit *Semen Abrahæ sumus*, & quidem ex Sara, cum quo Deus non tantum sempiternum pactum iniiit, Gen. 17. v. 19. verum etiam promisit, quod usque ad eo servituti non sit futurum subiectum, ut potius possidere debeat portas inimicorum suorum. Genes. 22. v. 17. Quæ ergo & quantæ sint nostræ prærogativæ nemini ignotum esse potest: cum verus Deus non nisi Deus Abraham, Isaac & Jacob dici velit. Exod. 3. v. 6. *Quomodo ergo tu dicis, liberi redemini? Nos nemini servivimus unquam*. Hæc vero dicendo, produnt simul suam & malitiam, & astutiam, & impudentiam. i. Malitiam, quod nec provocati, nec lacesciti, ipsi ultro ad contendendum prosiliunt. Christus credentes in se instituerat, qualiter ipsi se gerere debeant, si finem fidei suæ, salutem animarum reportare velint. 1. Petr. 1. versiculo nono. Quid hoc ipsis incommodare potuit? Si nolint credere in Christum, abeant in rem malam, & Christum cum suis sermonibus missum faciant: quia hi ad ipsos non pertinent. Verum quia malitia & improbitas occupavit ipsorum corda, ideo litigandi occasiones ipsi quærunt, & ut aliquid habeant, de quo contendant, malitiose id, quod Christus de spirituali libertate dixerat, ad politicam servitutem trahunt.

hunt. Interim silentio prementes id, quod in causa hac præcipuum erat: nimirum quod Christus de *veritate* collationem instituit? Sed ipsi ignorantia suæ sibi ipsis male conscii, & metuentes ne publice ea traduceretur, reticent: interim alicuiusmodi arripientes, quod majori favore apud rudem plebeculam exagitare possent. 2. Astutia singularis hoc est, quod, quia sciunt, vulgo non tantum miserum, sed etiam contumeliosum haberi, si quis servus esse censeatur (Hi enim à publicis honoribus & privilegiis excluduntur) inquirunt, an se Judæos pro servis habeat, si quidem libertatem ipsis promittat. Hoc enim si Jesus affirmet, jam se consecutos esse sperant, quo ipsum tum apud populum traducant, tum apud Præsidentem Romanum accusent. Populus enim Judaicus nihil minus ferre poterat, quam si quis ipso, qui tot promissionibus Dei communiti erant, liberum populum esse negaret. Cæterum, quia Romanis Judæi tantum erant tributarii, & à Cæsare per Præsidentem tanquam liber populus gubernabantur, omnino statuerunt, si ipsis servitum, quam sub Romanis servirent, objiceret, se posse ipsum apud Præsidentem accusare, tanquam qui finistre de Cæsaris Imperio loqueretur, & qui Judæis libertatem à Romanorum servitute polliceretur. 3. Impudentiam autem turpem in eo aperit, quod dicunt: *neq; cuiquam servivimus unquam.* Quod manifeste fallum esse ex scriptura patet. Jacob servivit in Mesopotamia Labano pro uxoribus, Genes. 29. v. 20. Joseph servivit in Ægypto, Genes. 39. v. 1. Patres ipsorum servierunt in Ægypto ducentis annis. Unde Deus ipse proficitur, se ipsos eduxisse è domo servitutis, Exod. 20. v. 2. Quin & ipse Deus Abrahamo prædixerat, semen ipsius servituti subjectam fore quadringentis annis. Genes. 15. v. 13. Et quid liber Judicum fere aliud continet, quam catalogum aliquem, in quo continetur, quoties Judæi vicinis gentibus servierint, & à Deo per certos Vindices in libertatem rursus asserti fuerint. Servierunt in super Majores ipsorum in Babylone septuaginta annis. Ut jam nihil dicamus, neque de Assyriaca neq; de Romana servitute. Hæc cum vulgo essent notissima, tamen impudentem affirmare audent: *nos nemini servivimus unquam.*

Eadem malitia, astutia & impudentia contra nos Evangelicos utuntur hodierni nostri Romanenses Pharisei Jesuitæ. 1. Malitia in eo, quod quando ipsis & eorum in religione complicitibus, per nos amplissimis suis præbendis tuto & pacifice frui, superstitiones in super suas retinere, & pro arbitrio vivere licet, nos autem nihil aliud quam puram Evangelii doctrinam nostris auditoribus proponimus, & simplicem salutis viam in uno Jesu Christo monstramus: non tamen quiescere possunt, sed ex nostrorum concionibus, scriptis, dictis & factis, occasiones venantur calumniandi, litigandi, contendendi. Et plerumque arripiunt unam aliquam voculam, aut sententiam aliquam truncatam, omittis antecedentibus, & relictis consequentibus, ut simplicioribus fucum, piis vero ministris negotium faccessere possint. Testes diabolicae hujus malitiæ sunt scripta Staphyli, Lindani, Prateoli, Ederi, Pistorii, Conradi Vetteri, & aliorum Apostatarum atque scurrarum, qui ex

foliis Lutheri scriptis per truncatas sententias plurimas hæreticas opiniones nostris malitiose affingunt, sicque infinitam contendendi & altercandi occasionem, rejecto interim *veritatis* studio, quarunt. 2. Astutia utuntur in eo, quod singulari artificio nobis odium & invidiam non apud imperitiores tantum, sed etiam apud magnos Principes, conciliare student. Quando nimirum Christo redemptori & mediatori unico suam gloriam vindicamus, & ex scripturis in hoc uno monstramus omnia, quæ faciunt ad nostram salutem, protinus exclamant, nos Divos Divasque cœlites omnes contumelia afficere, Mariam virginem, matrem filii Dei aspernari, Majores denique nostros condemnare & orco addicere. Hoc ubi simpliciores, qui fundamenta rerum ignorant, audiunt, mox nos pro deterrimis hæreticis habent. Sed quis nostrum unquam sanctos Dei servos ignominia affecit? Scimus ipsos fuisse, dum vixerunt, tum doctrina sua, tum exemplo fidei & virtutum, organa salutaria, & ministros salutis nostræ, jam autem cum Christo in gloria vivere, quo & nos juxta ipsorum institutionem contendimus. Quod vero ipsos non constituimus Magistros salutis, id per scripturam non licet, neque ipsi, dum vixerunt, unquam hoc à quoquam postularunt, imo severe prohibuerunt, Act. 10. v. 26. & 14. v. 13. Quoad Majores nostros, scimus etiam in medio regni Antichristiani Deum septem sua millia sibi reservasse, quæ coram Romano Baale genua sua non curvarunt. 2. Reg. 19. v. 18. sed per simplicem fidem in Symbolo Apostolico comprehensam salutem adierunt. Quod si vero DEUS tempora illa ignorantia dissimulavit, Act. 17. v. 30. non tamen consultum est, ut nos, quibus DEUS uberiorem lucem Evangelii sui concessit, rejecta luce veteres tenebras ipsi nobis adsciscamus. 3. Impudentia utuntur in eo, quod contendere audent, Romanam Ecclesiam nunquam errasse: cum tamen crassissimi & idololatri Romanensium errores, contra Decalogum, Symbolum Apostolicum, Orationem Dominicam, sacramenta & potestatem clavium regni cœlorum, Dei beneficio sutoribus & sartoribus nostris ita sint manifestati, ut sol in ipsa meridie non clarius discrimen colorum monstret, quam etiam idiotæ nostri sciant, quid intersit inter dogmata Pontificia & sinceram Evangelii doctrinam. Cum ergo hodie Jesuitæ iisdem armis nobiscum decertent, quibus olim Pharisei cum Christo, quis non hoc nomine sibi gratuletur, si in eadem cum Christo sorte consistat.

Obiter etiam hoc adjici potest: hodie multos in mundo inveniri, qui hanc Judæorum arrogantiam, qua Abrahami dignitatem contra Christum allegant, imitantur. Alii id faciunt politice, qui majorum suorum & stemmatum splendore inflati, omnes juxta se spernunt & contemnunt: licet nihil majoribus suis dignum faciant, sed labe potius & macula nobilium familiarum sint, quam ornamenta. Alii id faciunt Ecclesiastice sive spiritualiter, qui sufficere putant, quod ex Christianis parentibus sint nati, & quod Christiani ipsi dicantur: licet nihil eorum faciant, quæ Christus nominis sui sectatoribus observanda præscripsit. Utrorumque vana gloriatio & jactantia quomodo retundi debeat, Christus jam

jam nobis in responsione sua monstrabit.

Audiamus ergo Christi responsionem, in qua nobis exemplum ponit, quomodo errantium in formario potius, quam confusio hostium in controversiis religionis sit quaerenda. Etenim poterat Christus ipsos turpissima vanitatis & mendacii palam convincere, ut qui dicere audent, *se nemini unquam servisse*, quod manifeste falsum esse omnibus constabat: sed humaniter potius cum illis agit. 1. Informando eos, quo respectu ipsos servos esse dicat, quibus vindice opus sit. 2. Monendo, quid ipsos facere deceat, si pro veris Abrahami filii haberi velint. Sic nimirum ostendit, se ipsorum salutem quaerere, non autem ut confusi infames reddantur. Hunc finem omnes sincerioris doctrinae propugnatores sibi propositum habere debent, ut quoad ejus fieri potest, antagonistarum suorum conversionem non confusio-nem quaerant: nisi haec ipsa confusio ipsis ad conversionem viam monstrat.

Quoad primum responsionis membrum, illud gravi asseveratione proponit, inquiens: *Amen, amen, dico vobis: quod omnis, qui facit peccatum, servus est peccati.* Dicturus erat de re magna, & quam Judaei difficulter admitturi erant, ac proinde serio eam confirmat. Quasi diceret: vos intelligitis sermonem meum de corporali servitute, de qua ego minime loquor. Est alia servitus spiritualis, longe magis noxia, nimirum servitus peccati, a qua vos aequae ac alii homines, nequaquam liberi estis. Nam *qui facit peccatum, servus est peccati.* Distingunt aliqui inter *facere peccatum*, & *habere peccatum*, live peccare. Neque inepte faciunt in plurimis scripturae locis. Hic vero Christus per *peccatum facere* simpliciter intelligit corruptionem illam naturae, quam omnes ex Adamo trahimus & gestamus, cujus quasi proprium est, ut jam ex se nihil aliud possit quam peccare. Sic ut quemadmodum de igne dicimus, quod calefaciat, & de aqua quod humefaciat: ita de homine dicere possumus, quod *peccata faciat*. *Quicumque autem facit peccatum, is servus est peccati.* Sicuti de hac servitute peccati Apostolus Paulus prolixè agit, Rom. 6. v. 16. & Apostolus Petrus 2. Pet. 2. v. 19. Nam revera, qui certo aliqui peccato, utpote vel avaritiae, vel ebrietati, vel libidinibus vel alteri alicui sese totos addixerunt, illi turpissima sunt Satanæ mancipia. Sicuti prolixè illud demonstrari posset. Sed in hoc loco illud potius inculcandum videtur, quod Deus hominem initio liberum, neque tali servitute pressum creaverit. Et si rem rectè expendamus, triplici libertate Adamus ante lapsum gaudebat. Prima fuit libertas culpæ: quod homo vacavit omni peccato & injustitia. Secunda fuit libertas arbitrii seu voluntatis: quod homo donatus fuit vero intellectu & conformi voluntate, unde factus fuit Dominus universi mundi, in primis vero propriarum cogitationum, conatum & actionum. Et hoc est, quod Syracides dixit: Deus ab initio constituit hominem, & reliquit eum in manu consilii sui, ut scilicet vel bonum vel malum facere posset. Cap. 15. v. 14. Tertia fuit libertas poenæ: quod caruit omnibus calamitatibus & ærumnis, morte tam temporaria quam aeterna. Hanc libertatem homo, postquam per inobedientiam mandatum Dei transgressus est, protinus & penitus amisit,

seque ipsum in triplicem contrariam servitutem precipitavit. Quarum prima est servitus culpæ: quod homo totus factus est peccator & injustus, obnoxius iræ divinæ. Secunda est servitus arbitrii: quod homo, præsertim in rebus Deum & veram religionem concernentibus, nihil recti pro arbitrio potest agere, siquidem omnes motus cordis, ob inhaerentem corruptionem, contra Deum serviunt & militant. Et hæc ipsa servitus tanto turpior & pejor est, quanto magis homines, qui alias omnem servitutem corporis fugiunt, hæc ipsa delectantur, eamque promptè & volentes subeunt. Tertia est servitus poenæ: quod homo ob peccatum post innumeras calamitates, tandem etiam morti & temporariae & aeternae est subiectus. Quod scriptura maledictionem legis nominare solet. His qui quartam servitutis speciem adjicere velit, non oberrabit: quod nimirum Deus, postquam vidit hominem, amissa libertate arbitrii, quasi puerum & recta ratione carentem factum esse, eum subjecit variis legibus & caeremoniis, quibus ceu pædagogis & gubernatoribus, stultos nostros affectus & erroneas cupiditates regeret atque coerceret.

Hoc spiritualis servitutis gradus omnes Christus hoc loco complectitur: licet de servitute poenæ potissimum expresse dicat: *Servus non manet in domo in aeternum: filius manet in aeternum.* Parabolice hoc dictum est. Quemadmodum inter homines servit ad tempus videtur esse pars aliqua familiae, fruuntur privilegiis filii, & nonnulla in domo juxta heri arbitrium gubernant: tamen quando pervenitur ad dividendam hereditatem, tum aperit se discrimen inter filium & servum. Filius manet hæres bonorum paternorum: servus autem ex domo dimittetur. Et est hæc consuetudo etiam legibus confirmata. Ita Christus affirmat omnibus peccati servis, atque sic etiam Judæis idem eventurum. *Domus Dei* in hac vita est Ecclesia 1. Tim. 3. v. 15. in altera autem vita est gloriosa beatorum sedes. Joh. 14. v. 2. Innuit ergo Christus, *servos peccati* & hypocritas, sive illi ex Judæis sint, si velex gentibus, licet ad tempus locum inveniant in Ecclesia, sicuti in ea semper mali bonis, zizania tritico mixta sunt: Matth. 13. v. 30. non tamen perpetuo in ea permanuros. Sed in novissimo die triticum quidem congregatum iri in horreum Dei: zizania vero in fasciculos colligata abjicienda esse in ignem aeternum. Hæc expulsio servorum peccati ex domo Dei, adumbrata fuit in Ismaele, qui & ipse per annos circiter quatuordecim vixit in familia Abrahami, quæ fuit typus Ecclesiae Dei: verum, quia tandem prodidit se ipsius hypocritis, & quod Isaacum verum hæredem persequeretur, tandem audiit hanc sententiam, Gen. 21. v. 10. quam Paulus ad universam Ecclesiam applicando repetiit: Gal. 4. 30. *Ejice ancillam & filium ejus.* Non enim hæres erit filius ancillæ cum filio libera.

Quid ergo, dicat quis, si omnes *servi peccati* ex domo Dei tandem sunt ejiciendi, quis hominum cœlestem hereditatem adibit, cum omnes natura sint *servi peccati*? Addit ergo Christus mitigationem suæ sententiæ: *Si filius vos liberos reddiderit, vere liberi estis.* Per *filium* non intelligit indefinite, quemvis sanctum vel fidelem, qui & ipsi Dei filii verum tantum adoptivi dicuntur: sed *nat*
82201

seipsum intelligit, tanquam eum, qui naturalis est filius. Et ut in humanis servus conservum, nequaquam libertate donare potest: imò nec libertus aut adoptivus filius potestatem habet alios manumittendi: ita multo minus in spirituali hoc negotio quisquam hominum etiam sanctissimorum hanc facultatem habet alios in libertatem filiorum DEI vindicandi. Nisi quantum quiespiam ratione ministerii sui in nomine Christi peragit. Sed filius, Dominus noster JESUS CHRISTUS, ad quem regni cœlestis hæreditas tota pertinet, solus hanc potestatem habet, nos libertate donandi.

Opera vero precium hic est attendere, quomodo is nos libertate donet. Prima liberatio est à servitute culpæ, quando nobis per fidem donat remissionem omnium peccatorum, liberat nos à chirographo legis divinæ, abluit nos sanguine suo ab omni injustitia, liberat nos ab accusatione propriæ conscientiæ, & donat nos sua justitia, quæ valet coram cœlesti Patre. Deinde liberat nos quoque à lege Moysi tam judiciali quam ceremoniali, imò etiam ab omnium hominum legibus, quoad cultum DEI, religionem & conscientiam: ita ut jam nemo nos amplius judicet in cibo vel potu, aut parte diei festi, Col. 2. v. 16. Liberati enim jam sumus per Christum ab isto pedagogo legis, Gal. 3. v. 24. Quin & à maledictione legis mortalis liberati sumus: tantum libertatem hanc non demus in occasionem carnis, Gal. 5. v. 13. Præterea arbitrium & voluntatem nostram quoque in aliquam partem libertatis ponit, dum donat nos sancto suo Spiritu, cujus gratia corrupta nostra natura instauratur, ut non perpetuo peccemus, sed etiam juxta præscriptum DEI benè agere & pietati studere incipiamus: idque prompto & spontaneo spiritu. Pl. 110. v. 3. Nam ubi spiritus est: ibi est libertas. 2. Cor. 3. v. 17. Denique liberamur à servitute pœnæ: ita quidem, ut licet adhuc in hac vita varias calamitates & tandem etiam mortem corporis sustinere cogamur, sciamus tamen ista nobis non immitti, à DEO irato, sed reconciliato, ut sic conformes fiamus imagini Christi. Si enim compassi fuerimus, etiam conregnabimus: & si commortui fuerimus, etiam convivemus. 2. Tim. 2. v. 11. Nequaquam ergò mors credentibus est pœna, sed transitus ad vitam æternam, & liberatio ab omni malo. Liberi etiam sumus à tyrannide & furore Satanæ ac mundi, ea tenus, quod scimus his, qui DEUM diligunt, omnia cooperari ad bonum. Rom. 8. v. 28. Interim & hoc sciunt credentes, æternam mortem & pœnas inferni sibi esse plenè etiam sine indulgentiis palpibus remissas, & vice versa donatam cœlestem felicitatem. Quam licet nondum possideant: jus tamen vitæ æternæ habent: quia *πλήρωμα* ipsorum est in cœlis, Phil. 3. v. 20. In his omnibus jam ambulamus per fidem: olim ambulaturi per spem. 2. Cor. 5. v. 7. jam hæc bona possidemus spe: olim quando mortale hoc induerit immortalitatem, 1. Cor. 15. v. 50. eadem re possessuri. Et tunc *ὄντως, verè liberi erimus*. Interim in hac vita coram nobis tantum inchoata est libertas: in altera autem & coram DEO erit *ὄντως, verè perfecta*. Huc respicit Liber Concordiæ, quando hominem in quadruplici statu considerandum monet. 1. Qua-

lis fuerit ante lapsum: nimirum, *liber*. 2. Qualis factus sit post lapsum ante regenerationem: *servus peccati*, sicut etiam Lutherus de servo arbitrio scripsit. 3. Qualis sit per DEI gratiam post regenerationem: *libertus Christi*. 4. Qualis futurus sit post resurrectionem à mortuis: *ὄντως, verè plene, perfectè & immutabiliter liber*. Atque hæc est prima pars responsionis Christi, qua suum defendit sermonem ad credentes habitum: ostendens 1. Judæos & omnes homines verè, sed spiritualiter, natura esse servos, qui indigeant liberatore. 2. Miserabilem illius servitutis conditionem, ostendit, quod ex domo Dei sint expellendi. 3. Vindicem libertatis se unicum esse testatur, qui servos manumittere possit.

Jam etiam alteram responsionis partem consideremus, quæ superba jactantiæ & gloriationi Judæorum occurrit. Utitur autem primum confessione, qua fatetur ipsos secundum carnem originem ex Abrahamo ducere. Et hoc facit in eum finem, ne eos, qui modo credere cœperant, offenderet, licque illi in fide remorarentur. *Scio quod semen Abrahæ estis*. Mox tamen ostendit, incredulos istos suos adversarios & disputatores, tantum patrem non referre: ac proinde frustra de ejus titulo & nomine gloriari. Ratio ejus est. *Quia queritis me interficere*, idque non juste, ob aliquod meum crimen vel flagitium: sed *quia sermo meus non locum habet in vobis*. In Græco est *χωρῆς*, quod verbum derivatur à dictione *χωρῆς*, quæ regionem aliquam vel locum significat: & hoc loco ponitur neutraliter, pro *locum habere*, alias etiam significat *capere*, ut ita tribuatur tam rei continenti, quam rei contentæ. Sermo autem Christi non habuit locum in Judæis, propterea, quia animi ipsorum erant præoccupati pravis opinionibus & erroribus de mundano Messia regno, item variis traditionibus Patrum, invidia denique, odio personæ JESU, superbia, aliisque vitiosis affectibus & passionibus. Errores enim & passionem mentem præoccupantes, impediunt agnitionem & discretionem veri. Hoc vero dicto Christus aperit fontem omnis erroris, impietatis & flagitiorum. Horum omnium causa alia nulla est, quam quando homines excludunt DEI verbum, ut in animis ipsorum nullum locum habeat. Ut enim verbum veritatis est incorruptibile illud semen DEI vivi & æternum permanentis, 1. Pet. 1. v. 23. per quod voluntariè nos regenerat, ut simus initium aliquod creaturæ ejus, Jacob. 1. v. 18. ut fiamus bona arbor, quæ plantata secus decursus aquarum, fructum suum dat in tempore suo: Psalm. 1. v. 3. ita excluso hoc semine, innatio corruptio non tantum manet in cordibus hominum, sed etiam indies augetur & crescit in tantum, ut tandem nullum scelus inveniat, in quod homo ille non incidat, in quo *sermo DEI locum non habet*. Quid impulit Cainum, ut fratrem Abelem trucidaret? Non aliud, quam quod sermo DEI Gen. 4. v. 6. ad ipsum prolatus, in ipso locum non invenit. Cur Pharaos persecutus est Israelitas? Sermo DEI, per Mosen & Aaronem allatus, in ipso non habuit locum. Cur Judas vendidit & prodidit JESUM Salvatorem suum? Quia sermo Christi Matth. 26. v. 24. in illo locum non invenit. Cur hodie Pseudo-Catholici persequuntur Evangelicos?

licos? Nulla alia de causa, quam quod sermo Christi apud illos locum non invenit. Gloriantur Romanenses se esse Christianos; Ecclesiam Romanam esse omnium antiquissimam, Petrum & Paulum Apostolos Romæ docuisse; quam plurimos Martyres sanguine suo ibi religionem Christianam obfignasse. Nos per concessionem idem ipsis respondemus, quod Christus hic Judæis respondit: Scimus vos esse Christianos & gloriari de titulo Ecclesiæ, sed vos quæritis occidere veros Christi confessores, non ob ullum aliquod ipsorum crimen vel flagitium, sed tantum quia profitentur Jesum Christum, verum suum esse Servatorem & Mediatorem. Et hoc omne facitis, quia sermo Christi ejus Evangelium non habet locum in vobis. Nec ulla concordia inter utramque partem sperari potest. Quia quemadmodum olim is, qui secundum carnem natus fuerat, persequabatur eum, qui secundum spiritum: ita & nunc Galat. 4. v. 29. DEO igitur gratias agamus, si quacunquē pace apud istos homines frui concedatur.

Porro, quia Judæi excipere poterant: Quis est ille sermo tuus, quem nos amplecti oporteat, & qui locum in nobis habere debeat? Ideo responderet, ipsosque ad verum fontem adducit, ad cœlestem suum Patrem, inquit: Ego, quod vidi apud Patrem meum, loquor. Duo ipse sibi tribuit, quæ propriè in filium DEI competunt. Unum, quod semper sit apud Patrem, & omnia mysteria atque arcana ipsius videat & norit, qui consors sit omnium consiliorum Patris ab æterno. Est enim in sinu Patris, Joh. 1. v. 18. & Patrem nemo quisquam vidit, nisi qui est à DEO: Hic vidit Patrem Joh. 6. v. 46. Juxta hanc proprietatem dicitur σοφία sapientia Patris, quia omnia accuratè sapit & cognoscit, quæcunque sunt Patris. Alterum est, quod cum omnibus videat apud Patrem, eadem quatenus ad salutem hominum faciunt etiam in tempore hominibus, quando, & qua mensura velit, eloquatur. Juxta hanc proprietatem dicitur λόγος sive sermo Patris, qui enarravit vobis. Joh. 1. v. 18. Hæc Christus de se affirmat, de Judæis verò suis hostibus dicit: vos, quod vidistis apud Patrem vestrum, facitis. Per patrem ipsorum intelligit Diabolum, quem exemplo suo ipsis præeuntem, nimirum, ut postea plenius explicabit, mendacio, calumniis & homicidio, imitentur. Hic enim est DEUS hujus seculi & spiritus tenebrarum, qui efficaciter operatur in filiis incredulitatis. Eph. 2. v. 2. & 1. Thess. 2. v. 9.

Cæterum ad hujus loci, quantum quidem Christi personam & proprietates attinet, illustrationem, non inconcinne conducere videtur locus ille, qui Dan. 8. v. 13, 14. & 16. legitur: quem paucis adducemus, ut duorum horum locorum collatione instituta, tanto plus in cognitione Christi proficiamus. Testatur illic loci Daniel, se audivisse unum sanctum alteri, nescio cui loquenti, dicentem: Usque quo visio, & juge sacrificium & peccatum desolationis, quæ facta est, & sanctuarium & fortitudo conculcabitur. Postea stetit in conspectu suo speciem viri, & audivisse se vocem hominis clamantis: Gabriel, fac intelligere istam visionem. Describitur colloquium inter duas personas, de mysteriis DEI, quæ revelanda erant Da-

nieli. Una persona fuit angeli, qui vocatur Gabriel. Altera fuit alterius cujusdam, quem vulgata versio vocat, nescio cui, sed hoc valdè frigide. Nam in Chaldaica lingua legitur, לַפְּלִימִי ubi לַפְּלִימִי litera servilis, non cum scheva sed patach sequente dagesch forti, denotat certam quandam personam, de qua cognitum est iis, quibus scribitur vel dicitur. Et revera non est intelligenda alia persona, quam filius DEI, Dominus noster JESUS Christus, cui illo ipso in loco tria nomina tribuntur, quæ verissimè ipsi competunt, & cum præfenti hoc loco optimè conveniunt. 1. Dicitur פְּלִמִי Phalmoni, hoc est, is qui occulta omnia & mysteria divina in numerato habet, qui rebus occultis à DEO Patre est præfectus. Aut ut hic loquitur, qui omnia videt apud patrem suum. Componitur enim hoc nomen ex duobus verbis, nempe פְּלִימִי quod significat, mirabile esse, difficile esse, absconditum & excelsum esse, עלל quod significat occultare. Filius enim est æterna illa sapientia patris, in patre rerum abditarum omnium, cognitrix. Quia patri placuit, ut omnis plenitudo, hoc est, omnium divinarum rerum plenissima copia, in filio inhabitaret. Coloss. 1. v. 10. In ipso enim sunt omnes thesauri sapientia & cognitionis absconditi. 2. Vocatur etiam הַמְדַבֵּר Hamdabber, loquens: ideò hic dicitur: quod vidi, loquor. Est enim ὁ λόγος ὁ ἐξαγγελιακός, sermo ille æterni Patris, per quem placuit patri & se & sua consilia, nobis patefacere. Unde etiam est summus ille & unicus doctor ac magister, non tantum hominum, sed etiam angelorum. DEUM enim nemo vidit unquam: Unigenitus ille filius, qui est in sinu Patris, ille enarravit nobis. Et quia ipse est æternus λόγος, atque sic cœlestis Pater est autor sermonum ipsius, inde fit, ut in tam gravem culpam apud DEUM incidant, quicunque sermonibus ipsius apud se nullum locum concedunt. 3. Additur se audivisse vocem הוֹמִינִים hominis clamantis. Nimirum jam tum temporis præludit filius DEI suæ incarnationi: siquidem & humana specie Danieli apparuit, & humana voce sese patefecit. Dubium ergo est nullum, eundem DEI filium, qui olim per angelum Danielelem, & per Danielelem Ecclesiam de rebus necessariis instruxit, tanquam Phalmoni Hamdabber, eundem postea Adam & hominem factum, hoc loco Judæis dixisse: Ego, quod vidi apud Patrem meum, loquor. Atque sic Christus Judæos deducit, tum ad autorem suorum dictorum, DEUM, tum ad autorem ipsorum factorum, Diabolum. Nobis eandem viam monstrans, ut si quando cum improbis agendum sit, eos ad fontes tum bonorum tum malorum adducamus: ut audito DEI nomine ad bonum alliciantur, & vicissim audito nomine Diaboli à malo absterreantur. Nemo enim est, qui profiteatur se Diabolum sequi. Improbis ergo & hypocritis larva est detrahenda, ut agnoscant, diabolum factorum suorum autorem esse, & ab iis abstinere discant.

II. Quia Christus in præcedenti membro mala Judæorum opera taxarat, eorum officii fuisset, malefacta sua agnoscere, eademque emendare. Sed ipsi, quod obstinatis & improbis omnibus est solenne, ogganniunt, & per Paralogismum, quod ludunt in voce πατρὸς & filiorum, instant. Quia enim

enim intelligebant se & suum patrem notari aliquid criminis, nec de alio patre quam Abrahamo scire volebant, rursus obijciunt: *pater noster Abrahamus est.* Est autem valde insidiosa hæc obiectio, quæ ipsum præter omne meritum rudis & ignorantis populi odio exponere conantur. Quid? An vis de nostro patre Abrahamo malè loqui, & dicere, quod ab ipso didicerimus ea, quæ bona non sunt? Cum tamen publica de hujus fide & pietate testimonia extent in sacris literis? Ita callidè opera sua, quæ probari nullo modo poterant, splendide progenitoris sui titulo contegere conantur. Simili astutia Jesuitæ hodie utuntur: qui quando idololatriæ, superstitionum, errorum & horribilium abusuam, quos tum in doctrina veritatis, tum in usu Sacramentorum Romanenses admiserunt, arguuntur, protinus statum causæ declinant, & extra oleas vagantes, magnificè gloriari solent de antiquitate Romanæ Ecclesiæ: de Patrum auctoritate, qui omnes in ea vixerint: de Majoribus nostris, qui religionem Christianam à Romanis acceperint, & addiderint. Atque inde exclamant: an Ecclesiam tam diu errasse judicatis? An Majores nostros omnes damnatis? An sanctiores & doctiores Patribus omnibus vos esse putatis? Hæc omnia autem astute & callidè in eum finem proferunt, ut nos rudioribus, qui tropheas hæc non intelligunt, invisos & exosos reddant. Eadem status perversione non raro utuntur dissolutiores Nobiles, quorum superbia, heluationes, scortationes & alia vitia, si quando pro concione taxantur & traducuntur, protinus exclamant: Nos nobiles sumus. Nos genus & Majores nostros in decimam usque generationem numerare possumus. Et quod in paucos quosdam degenerantes dicitur, illud ipsi mox, ut Ecclesiam invidia premant, ad totum ordinem extendunt. Sed audiamus, quomodo Christus huic versutia occurrat.

Poterat sanè Christus jam mox à principio acerbius in ipsos invehi, multa in ipsos crimina congerere, & somnia illa exprobrare, quæ postea sequentur. Sed modeste & argumentis agit, si forsitan adhuc aliqui ipsorum converti possent. Exemplum præbens iis, qui veritatis patrocinium suscipiunt, quomodo circumspèctè Apologias suas instituere debeant, ne importuna severitate infirmiores offendant. Prius enim homines, errorum & scelerum etiam intra animos convinci debent, quam gravius objurgentur & criminationibus obruantur. Hoc igitur argumento ipsos convincit, quod non sint germani Abrahami filii: quia non faciant *opera Abrahami*, hoc est, ingenium nec mores Abrahami referant. Non improbo quod Origenes annotavit, *opera* dici non opus: quia non respexit solam fidem, quæ Abrahamus DEO placuisse dicitur, Genes. 15. v. 6. sed etiam reliqua pietatis opera, quæ instar fructuum de fide sunt testificata. Fidem enim nos homines non videmus, de ea tamen ex operibus judicare possumus, ut Jacobus dixit, cap. 2. vers. 18. Ostendemihî fidem tuam sine operibus: & ego ostendam tibi ex operibus fidem meam. Christus quoque Matth. 23. v. 35. ostendit in novissimo die iudicium instituendum esse de fide ex operibus. Negat ergo Christus Judæos Abrahami opera fa-

cere. Etenim *queritis me interficere hominem, qui veritatem vobis locutus sum, quam audivi à Deo.* Hicce verbis tria gravissima scelera ipsis impingit. 1. Quod se *hominem interficere* velint, quod divinis legibus est prohibitum. 2. Quod ingrati, *veritatis* doctorem, cui bonam gratiam referre debebant, trucidare velint. 3. Quod impii sint in DEUM, qui ejus legatum, qui *veritatem, quam à DEO audivit, prædicat*, violare non vereantur. Hoc *Abraham non fecit.* Hic certè *veritatis* addiscendæ causâ patrium solum dereliquit: & postquam promissionem de benedicto semine accepit, non hæsitavit dissidentia, sed fide confortatus gloriam dedit DEO. Rom. 4. v. 20. huicque adeo obsequentem se præbuit, ut ne proprio quidem filio parcere voluerit, cum in obsequium DEI eum immolare jubebatur. Genes. 22. v. 2. Si ergo Judæi vere de tanto patre gloriari vellent, necesse foret, ipsos etiam ejus ingenium referre & opera imitari. Sed *vos facitis opera patris vestri*, scilicet alterius, qui merito pater vester dici potest, eo quod opera ipsius imitamini. Sic verò loquendo Christus innuit, se non de carnali propagatione, sed de spiritali paternitate & filiatione loqui. Quod quemadmodum sit spiritalis aliqua servitus, de qua in præcedenti membro dictum est: sic etiam sit spiritalis filiatio, secundum mentem & spiritum, seu morum similitudinem. Quemadmodum enim pater naturaliter generat filium vultu & corpore sibi similem: sic si quis alterius doctrinam vel exempla ita in animum demittat, ut ad imitationem trahat, efficitur ei mente similis: ita, ut ille quidem pater, hic verò filius, etiam phrasi scripturæ usitata dici mereatur. Sic Jubal fuit pater omnium canentium cithara & organo. Genes. 4. v. 21.

Potest autem hic Christi locus satius extendi, & omnis loci ac ordinis hominibus, Ecclesiasticis & politicis accommodari, qui multum de sua dignitate & eminentia gloriantur, quam tamen pendendis operibus dehonestant. Romani Pontifices & larvati ejus Episcopi, se Christi Vicarios, & Apostolorum successores esse gloriantur, ac proinde sibi imperium in universam Ecclesiam vendicant. His ad imitationem hujus loci dicimus: Si Christi vicarii, si Apostolorum successores estis, opera Christi & Apostolorum facite, Evangelium docete, verbum DEI prædicate, sacramenta administrate, afflictos consolationibus erigite, Ecclesiis de idoneis & fidelibus ministris prospicite. Sed vos facitis opera patris vestri Antichristi: regna mundi turbatis, bella geritis, traditiones humanas invehitis, scorta alitis, sacra venum exponitis, ea denique facitis, quæ nullos Christianos, nedum Christi & Apostolorum successores decet. Eodem modo tractari possunt, qui veteris familiæ stemmata & depicta insignia ostentant, seque plus quippiam esse jactitant, quam sit vulgus hominum. His dicamus: Si nobilium Majorum filii estis, nobilium opera facite: aliis exemplum virtutis præbete, omnibus benefacite, neminem lædite, patriam ferro defendite, viduarum & orphanorum patrocinium suscipite. Verum vos facitis opera patris vestri: nimirum leges publicas violatis, subditos spoliatis, subjectis vim & injuriam infertis, viduas & orphanos opprim-

primitis, hœlluationibus & scortationibus indulgetis, labes denique & macula estis honoriorum familiarum, quos ipsi Majores, si è mortuis resurgerent, non pro suis agnitori essent. Denique hoc Christi loco uti possumus adversus illos, qui ore fidem Christi profitentur, opere autem negant. Dicamus ipsis: si verè Christiani essetis, etiã Christi opera faceretis utique. Jam verò superstitionibus indulgetis, sanctum DEI nomen blasphematis, rarò oratis, DEO pro beneficiis nunquam gratias egitis, verbum Christi ridetis, conciones negligitis, sacramentis sine vitæ emendatione utimini, odio indulgetis, vos invicem mordetis, libidinibus locum datis, rapinas & usuras exercetis, proximo clam detrahitis, cum obrectationibus læditis, aliena bona concupiscitis, ea denique facitis, quorum honestiores gentiles suppediisset. Christus ergò vos non pro suis agnoscat: vobis in novissimo judicio dicit: nunquam novi vos, discedite à me omnes qui operamini iniquitatem. Matth. 7. v. 23.

III. Crescit pugna inter Christum & Judæorum primores. Christus hæcenus evidentissimis argumentis Judæis ademit vanam illam gloriatiorem, quod essent filii Abrahami. Sicuti idem fecerat Johannes Baptista Matth. 3. v. 9. Illi verò arrogantes facti altius ascendunt, seque non tantum Abrahami, sed ipsius DEI filios esse contendunt. Ac proinde injuriam & contumeliam, quæ ipsos afficiat, in ipsum Deum redundare. *Non ex stupro, inquit, nos sumus nati. Unum patrem habemus Deum.* Intelligunt nimirum vel tandem, Christum hæcenus non de corporali patre, sed spirituali, non de carnis generatione, sed de vitæ institutione locutum esse. Idcirco & ipsi omisso Abrahamo, se non spirituali stupro seu fornicatione, hoc est, idololatria se contaminasse, sed unum spirituales patrem DEUM habere affirmant. Respiciunt ad illos Prophetarum locos, in quibus DEUS idololatriam sub adulteri nomine traducit, quales sunt Jer. 3. v. 1. Ezech. 16. v. 3. & 23. v. 3. Item Hof. 2. v. 2. Volunt ergò dicere, se non esse Idololatrias ex Idololatriis progenitas, sicuti sint reliquæ gentes, quæ falsum DEUM, & hocse quidem innumeros colant, vel Samaritani, qui verum DEUM simul cum Diis gentium colant, sed habere se unum DEUM, cumque patrem, tum ratione creationis, tum ratione cultus & religionis. Quare si quid durius in se dicat, id etiã in ipsum DEUM redundare, qui ipsos in filios adoptavit: cum Israel sit filius ipsius primogenitus. Exod. 4. v. 22.

In hisce Judæis attendendum est omnium hypocritarum ingenium: ut tanto rectius agnoscere discamus, quo artificio in disputationibus uti soleant. 1. Astute statum controversiæ mutant, non ad id, quod objectum erat, respondent, sed gloriosum suum nomen prætendunt. Debebant diluere objectum crimen homicidii, & de operibus suis respondere, qualianam illa essent, an mores & ingenium Abrahami referrent. Sed hic pisce magis sunt muti. Nimirum intra conscientiam suam erant convicti, quod sanguinaria ejusmodi consilia de trucidando Jesu animo agitent, ac propterea silentio ista prætereunt. 2. Arrogantes suos titulos prætendunt, & qui non poterant evincere se germanos Abrahami filios esse, filiorum DEI no-

men ac titulum sibi vindicare audent. 3. Simul autem impudentissimè mentiuntur, se non ex fornicatione spirituali natos: cum omnes eorum Majores idololatria multiplici fuerint addicti. Thare, Abraham & Nachor trans fluvium servierunt Diis alienis. Jos. 24. v. 2. In Ægypto Israelita coluerunt gentium Deos. Exod. 32. v. 5. exerunt vitulum aureum, eumque coluerunt. Num. 25. v. 1. fornicatus est populus cum filiabus Moab, & cum Baalphegor. Judicum quoque tempore servierunt quidem Domino, quamdiu vivebant seniores, qui noverant opera Domini. Jud. 2. v. 7. sed postea multis vicibus defecerunt à Domino, quæ etiã causa fuit omnium calamitatum. Tempore Samuelis autem ad ipsius exhortationem removerunt Deos alienos Baalim & Astaroth. 1 Sam. 7. v. 3. Salomon quoque in senectute sectatus est Deos alienos, Astartem, Chamos & alios iisque templa ædificavit. 1 Reg. 11. v. 5. Quid dicemus de Jeroboamo & Achabo, qui venundatus erat, ut faceret malum in conspectu Domini, cum Jezabele uxore sua? 1 Reg. 21. v. 25. Idololatria denique apud Israelitas pariter & Judæos tanta fuit, ut DEUS propter illam ipsos Assyriaca & Babylonica captivitate puniverit. Quæ ergò fronte se ex fornicatione natos esse negare audent.

Planè eodem artificio etiã hodie Pontificiorum Pharisæi, Jesuitæ, adversus Evangelicos pugnant. Etenim quando ob horribiles suos errores, quales sunt, Divorum invocatio, fiducia propriorum meritum, fictum purgatorium, humana traditiones, indulgentiarum nundinatio, Sacramenti mutilatio, vota monastica & consimilia multa, arguuntur. 1. Astute statum declinant, nos in Divos coelites, in sanctissimam Domini matrem, in beatos martyres, contumeliosos esse, Ecclesiam matrem contemnere, Majores nostros condemnare clamitant. Ut sic aliunde excitato strepitu examen pravorum ipsorum in Ecclesia operum & errorum negligatur. 2. Mox ad gloriosos & splendidos suos titulos arroganter evagantur. Ecclesiæ Romanæ antiquitatem, non interruptam Romanorum Pontificum seriem ad Petrum Apostolum usque, una cum numerosissimo cœtu sanctissimorum Martyrum, qui ante multa secula in Romana Ecclesia sanguinem suum pro Christi nomine profuderint, prætendentes. Clamitant, penes se sitæ sanctissimum Dominum Papam, eruditissimos Cardinales, illuminatissimos Doctores, cum toto choro reverendissimorum Episcoporum & Ecclesiæ Prælatorum. Et quid non? 3. Tandem etiã non pudet impudentissimè mentiri, Romanam Ecclesiam nunquam scortatam esse, nunquam errasse, nunquam à Christi vel Apostolorum doctrina recessisse. Cum tamen jam toti mundo constet, ipsam Romanam Ecclesiam esse illam mulierem, quæ in fronte nomen hoc scriptum habeat, Mylterium, Babylon magna, mater fornicationum & abominationum terræ. Apoc. 17. v. 5. In cujus rei indicium DEUS permisit, ut foemina mentita virum, infame scortum, Johannes VIII. cognomine Anglicus, ad Pontificiæ dignitatis fastigium eveheretur, claves regni cœlorum ei committeretur, & cœlestium bonorum dispensatrix constitueretur. Quid est errare, si hoc non est? Num vestigia Christi sequi hoc est, quando

quando Christus dicit de calice sacrae Cœna, bibite ex hoc omnes: Pontifex verò inquit, hoc non obstante Laicis calice interdicitur? Paulus scribit: Honorabile conjugium sit apud OMNES: Heb. 13. v. 4. Pontificii autem sacerdotibus conjugio interdicitur. An hoc est Petri & Pauli successorem agere? Sed non est nostri instituti hoc loco camarinam illam Pontificiorum errorum movere. Passim integri Tractatus de ipsorum erroribus extant. Unicum hoc in præsentia Jesuitis movisse perciperem: an etiam ipsi cum Judæis dicere possint: *Nos unum Patrem habemus Deum?* Hoc si dicere velint: Ubi manet ipsorum adscititius pater Ignatius Lojola, per desperationem ex prophano milite factus Monachus? ex cujus fornicatione cum Romana Thaide nati sunt spirituales hi filii Lojolitani Jesuitæ, genuina fatana progenies. Neque enim dicere possunt: se saltem humanæ honorificentiæ causa (ut August. in libro Collationum cum Donatist. scribit) ipsum patrem nominare: cum certum sit Lojolam novitii hujus ordinis progenitorem & quatuor in eo votorum institutorem esse, in quæ jurare coguntur omnes, qui Lojolam patrem sequi volunt. Sunt ergo Jesuitæ longe pejores Judæis, cum non possint dicere, se unum patrem habere Deum.

Sed audiamus Christum, quomodo is Judæorum arrogantiam & impudentiam recondat. Tria autem membra in refutatione vanæ hujus jactantiæ tractat. 1. Firmis argumentis demonstrat ipsos nequaquam Dei filios esse. 2. Diserte edicit, cujus filii sint: scilicet Diaboli. 3. Suae personæ innocentiam & doctrinæ veritatem asserit. Singula seorsim consideremus.

1. Primo ut in præcedentibus Judæorum primores exclusit à cognatione Abrahami, in quo gloriabantur: ita nunc duplici argumento ipsis eripit, Deum non esse ipsorum Patrem, in quo non minus vanè gloriabantur. Primum argumentum sumptum est à natura & ingenio filiorum DEI. *Si Deus pater vester esset, diligereis utique me.* Vult dicere. Germanorum DEI filiorum est, & Patrem, & omnia quæ patris illius sunt, diligere. *Ego verò ex Deo exivi & venio:* quibus duobus verbis (ut Augustinus & Hilarius annotarunt) tum æternam suam ex Patre nativitatem, tum temporalem adventum in hunc mundum & in carnem exprimit. *Ἐγὼ ἵνα προέλθω* seu rectius, *exiis*, (Procedere enim seu *ἐμπροσθεν*, est Spiritus sancti proprietatis, Joh. 15. v. 26.) à Patre *ἀρχόντως* per æternam generationem: & *ἵνα venio* in mundum, per temporalem incarnationem. Sic ergo innuit se esse DEI unigenitum & primogenitum, ex substantia æterni Patris ab æterno genitum, & hominis Filium, postremis hisce temporibus in mundum, missum, ac proinde merito reliquos suos fratres intimo amore ipsum prosequi debere. Adventam autem suum in mundum ipse plenius declarat, inquiens: *Neq; enim à meipso veni*, ut Diabolus in paradiso, Gen. 3. v. 1. & Pseudopropheta in mundo: Jer. 23. v. 21. *sed ipse misit me:* non solum vulgari modo, ut prophetas, qui postquam nati sunt, & ad adultam ætatem pervenerunt, missi sunt à DEO ad prædicandum, ut Jesaias cap. 6. v. 8. Jeremias cap. 1. v. 5. & reliqui quisque suo loco: sed singulari quodam modo eum *misit:* nimirum, cum ab æterno apud

Harm. Tom. I.

Patrem, Deus verus cum Deo vero esset, ipsum hominem fieri voluit, ut in mundo inter homines versans, divinum illud humanæ redemptionis opus perficeret. Ad hanc missionem olim Moses respiciens Domino dixit: Obsecro Domine, mitte quem missurus es. Ex. 4. v. 13. Ex his verbis potest Ecclesiastes quispiam, si velit, doctrinam de persona filii DEI, juxta secundum articulum symboli Apostolici, coram plebe tractare, de missione filii DEI ad redemptionem humani generis. Nobis fontes monstrasse sufficit.

Secundum argumentum itidem à proprietate domesticorum DEI desumptum est, quod quasi per admirationem quandam proponit: *Quare loquelam meam non agnoscitis? Quare loquelam hic accipere possumus de doctrinæ perspicuitate.* Quia Christus Judæis non abstrusa mysteria, sed res & doctrinas ex prophetis notas atulit, easque non peregrino Idiomate, sed lingua vulgari & parabolis de rebus passim obviis desumptis explanavit: Egit nimirum de poenitentia, de peccatorum remissione, de promissionibus patribus factis, de spiritali humani generis liberatione: quæ doctrinæ capita utique ex prophetis ipsis nota esse debebant. Tale ergo argumentum struit. Unius domus filii paternam linguam & idioma agnoscunt. Si enim Hierosolymitani servi ex loquela agnoverunt Petrum esse Galilæum, Matth. 26. v. 73. Et si Jud. 12. v. 6. Galaaditæ ex unica vocula Sibboleth cognoscere potuerunt, si quis esset Ephratæus: quanto magis in una Dei domo *ἡμεῖς* ipsius filii eandem loquelam agnoscere debent? Sed *vos non potestis audire sermonem meum: & διῶκετε, non potestis,* & loquitur 1. de *ἀδυναμίᾳ ψυχῆς*, qua homo naturalis & non renatus, non potest naturali sua facultate audire, cognoscere, vel assequi verbum DEI, eique assentiri. Cumque Judæi hi omnes à Deo non essent renati, non poterant percipere ea, quæ sunt Spiritus Dei. 1. Cor. 2. v. 14. Lux enim in tenebris lucet: sed tenebræ eam non apprehendunt. Joh. 1. v. 5. 2. Huic postea accessit *ἀελλογία*, ut Chrysostomus interpretatus est: quod Judæi non potuerint sermonem Christi audire, non quod is adeò obscurus & perplexus esset, sed quod ipsi tanto Christi odio, tanta invidia, superbia & voluntaria malitia adversus ipsum personam laborarint, ut etiam per veritatem convicti, tamen sermonem ejus repulerint, nec audirent. Unde tandem 3. quia nec dum desistant sese ipsi opponere, hæc ipsorum pertinacia in habitum abierit, ut prorsus ipsis ex iusta Dei poena *ἀδύνατος* sit, Christi sermonem audire. Juxta illam comminationem Dei. Jes. 6. v. 9. Audite audientes, & nolite intelligere, &c. Sic nimirum innuere voluit Christus, ipsos sibi met suæ cæcitatæ & ignorantie causam esse, cum sermonem ipsius per quem converti poterant, audire nec velint nec possint. Esse enim ipsos inlitar sordæ aspidis, aures suas obturant, ne vocem incantatoris audire cogatur. Psal. 58. v. 5.

Ex hoc primo membro desumere possumus certas notas verorum Dei filiorum. Omnes Christiani gloriantur se esse Dei filios. Neque temere quisquam Christianorum hoc honoris titulo privandus est: qui in baptismo omnes renati sunt Deo, per aquam & spiritum. Joh. 3. v. 5. Si tamen verè

verè hoc titulo gloriari velint, operam dent, ut hæc notas habeant. 1. Christum JESUM unigenitum DEI filium diligant. Si quis enim non amat Dominum nostrum JESUM Christum, sit anathema, Maranatha. 1. Cor. 16. v. 21. 2. Propter Christum amore etiam complectantur omnes reliquos DEI filios, suos in Christo fratres. In hoc enim (inquit Christus ipse) cognoscent omnes, quod mei discipuli sitis, si dilectionem habueritis ad invicem, Joh. 13. v. 35. Ideo etiam Petrus vult, 2. Pet. 1. v. 7. ut pietate τῶν Φιλαδέλφων, amorem in fratres, ministremus. 3. Legatos quoque DEI, quos ipse misit, humaniter accipiant & debito honore, prosequantur. Sic Paulus de suis Galatis testatur, non sprevisit neque respuisit me, sed sicut angelum DEI excepistis me, sicut Christum JESUM. Quanta tum erat beatitudo vestra? Gal. 4. v. 14. 4. Loquelam Christi agnoscant, & conciones ex ipsius verbo cum gaudio suscipiant, sicuti Berthoenfes, Actor. 17. v. 11. quotidie scrutantes scripturas, si hæc ita se habeant. Christi enim oves, ipsius, tanquam sui pastoris, vocem audiunt. Johan. 10. v. 3. Hæc addatur s. nota, quæ in superioribus à Christo est adducta, *opera patris sui faciant*, nimirum sanctitati & beneficentiæ studeant. Diligite inimicos vestros, inquit Christus, benefacite & mutuum date, & eritis filii altissimi, quia ipse benignus est super ingratos & malos. Estote ergo misericordes: sicut & pater vester misericors. Luc. 6. v. 35. Ad hæc notas si plerorumque Christianorum vita examinetur, deprehendetur, quam paucos *missis* filios DEUS in hoc immundo mundo habeat.

2. Postquam Dominus Judæis eripuit vanam gloriationem de patre Abrahamo, & de Patre DEO, jam clarè exponit, & disertè enunciat, quod hæcenus obscuris dictum videri poterat: quis ipsorum sit pater. *Vos ex patre Diabolo estis.* Hoc non intelligit Dominus quoad originem, ut Manichæi, qui duo rerum omnium principia confixerunt, unum bonum, alterum malum, sunt interpretati. Erant enim Judæi omnino homines, ex hominibus oriundi, filii Abrahami quoad carnem. Sed loquitur Dominus de ipsorum studiis & moribus, & docet ipsos Diaboli filios factos esse, non nascendo, sed imitando: sicut ipse explicat, quia *desideris patris vestri vultis obsequi.* Et quænam illa Diaboli desideria sint, indicat: nimirum *homicidium & mendacium.* Verba Christi tali argumento includi possunt. Quicumque Diaboli ingenio eoque se accommodant, ut desideria ipsius, homicidium & mendacium, implere studeant, illi vere Diaboli filii dici possunt. Vos Diaboli desideria facere studeatis, dum me hominem innocentem occidere queritis, & veritati à me prædicatæ malitiosè obstrepitis. Ergo verè Diaboli filii estis.

Quia verò hoc loco Servator noster, occasione hujus argumenti, excurrit ad pleniorè aliquam diabolicæ naturæ & conditionis descriptionem, illam prius expediamus, & postea ad rem redeamus. Primò ex sacris constat, Angelos omnes initio bonos esse creatos. Nam vidit DEUS omnia quæ creaverat: & erant valdè bona. Gen. 1. v. 31. Sed non creavit DEUS angelos in bono immutabiles. Nam in bono immutabilem esse, solius

DEI proprium est. Mutabiles verò creaturæ, pro diversitati objecti, vel in melius vel in deterius commutari possunt. Diabolus ergo, ut Christus hic loquitur, *in veritate non stetit*: vel ut Judas in sua epistola dicit, v. 6. τῶν ἀρχαίων originem suam non servavit: sed in ipso momento suæ defectionis, DEO ipsum non sustentante, nec nova gratia confirmante, ex S. DEI angelo teterrimus demon factus est. Quod notandum est contra Manichæos & eos, qui ipsos sequuntur, putantes diabolum initio impium, homicidam & mendacem à DEO creatum fuisse. Quæ opinio injuriosa est in bonitatem DEI. Quodnam autem fuerit illud peccatum, quo Diabolus se avertit à DEO, & quando se averterit, illud scriptura non expresse indicat, nec fortassis curiosus in utrumque inquirendum est. Nihil tamen impietatis habet vulgaris Patrum sententia, quæ arbitratur, ipsum superbia elatum affectasse divinos honores, & detrectasse Filio DEI, cui imperium debebatur in omnes creaturas, debito honorem. Sic enim Syr. 10. v. 15. Initium omnis peccati superbia. Et ad lapsum Satanæ etiam Patres accommodarunt illud dictum Jes. 14. v. 12. quod tamen, proprie de rege Babylonico agit: Quomodo cecidisti de cælo lucifer, qui mane oriebaris? corruisti in terram, qui vulnerebas gentes? qui dicebas in corde tuo. In cælo conscendam, super alta DEI exaltabo solium meum, sededo in monte testamenti, in lateribus aquilonis. Ascendam super altitudinem nubium, similis ero altissimo. Nam omnino ob hanc rebellionem Satanæ exturbatus est à cælo, sicuti Christus dicit Luc. 10. v. 18. Videbam fatanam, sicuti fulgur, cadentem de cælo. Et Joannes de Dracone & ipsius angelis pronunciat, quod in pugna succubuerint, nec eorum locus amplius inventus sic in cælo. Ap. 12, 8. Licet autem Satanæ cum suo satellitio nondum sit missus in abyssum, Luc. 8. v. 31. in locum tormentorum: sed propter peccata hominum aliqua ipsi concessa sit potestas aeris, Eph. 2. v. 2. ut sit κοσμοκράτωρ & rector tenebrarum in hoc seculo: tamen catenis caliginis, & vinculis æternis sub caligine asservatur judicio magni illius diei, 2. Pet. 2. v. 1. Epist. Jud. v. 6. quando mittetur in stagnum ignis & sulphuris, ut crucietur die ac nocte in secula seculorum. Apoc. 20. v. 10. Interim tanto odio DEI, cujus hostis factus est, flagrat, ut quoniam ipsi nocere nequit, propter DEUM homini, qui ad imaginem Dei creatus est, omnibus modis insidietur. Unde factus est ἀρχὸν ὀφίων *homicida ab initio*: Is enim fuit, qui Adamum in peccatum, & per peccatum ipsum cum omni sua posteritate in mortem præcipitavit, Gen. 3. v. 4. Id verò fecit non *ab initio* suæ creationis, sed *ab initio* ipsius lapsi hominis. Neque enim prius *homicida* esse potuit, quam homo creatus esset, quem occideret.

Circumspectè Christus loquitur, ne qua culpavitatis Diabolicæ DEO vel ipsius creationi impingatur. Ideo particulam ἀπ' ἀρχῆς, *ab initio*, priori membre, quod agit de homicidio, annedit non posteriori, ubi dicit, *in veritate non stetit*: ne quis putaret, Diabolum in illo principio, in quo creatus est, in veritate non stetit. Et quando Joannes scribit, 1. Joh. 3. v. 8. Diabolus ab initio peccat, tum illud intelligendum est de initio mundi sive hominis: quod nimirum diabolus primus sit, qui

qui peccavit, & quod continue atque indefinenter peccet. Peccat autem homicidio & mendacii. Hicce duobus ceu armis utitur, quibus potissimum nocet homini. Quod verò Christus addit: *quia veritas non est in eo*: Ibi particula *quia*, non est ita accipienda, quasi Christus causam reddat, ob quam Diabolus in veritate non steterit, & quasi nulla unquam veritas in Diabolo locum habuerit: sed ducit argumentum à consequentia, atque dicere vult, sic ipsum è veritate excidisse, ut jam imposturum ne minima quidem veritatis particula sit in illo. Adeò quidem, ut si quando verum dicere videretur: tamen *non est veritas* in ore ejus. Quia per ea, quæ loquitur, studet hominem decipere, ut ita omnia ejus dicta ad mendacium & errorem vergant, nec unquam tuto ei credi possit. Ardet enim horribili odio adversus DEUM, adversus omne illud, quod veri bonique nomen obtinere potest: estque verè *ἡλικαίερος*, quin unquam gaudet, nunquam letatur, nisi quando nocendum homini DEO agrè facere potest. Et quemadmodum DEUS, qui est charitas, nunquam cogitat malum: non gaudet super iniquitate, sed congaudet veritati. 1. Cor. 13. v. 6. ita Diabolus vice versa nunquam cogitat bonum, nunquam gaudet, nisi super iniquitate. Hanc a naturæ suæ pravitatem non habet, ex DEI creatione, sed ex sua apostasia. Ideò Christus porro subjicit: *cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur*, hoc est, non loquitur ex his, quæ ipsi vel à DEO vel ab alio aliquo sunt communicata: sed ex iis, quæ habet ex maledicta & malitiosa sua defectio-
ne. Unde declarationis causâ subdit: *quia mendax est, & pater ejus*. Hanc particulam olim Manichæi arripuerunt, atque sic interpretati sunt, quasi & Diabolus ipse mendax esset, & ejus Diabolus pater quoque mendax sit: ut ita unum sit principium omnium malorum, distinctum à primo principio bonorum. Sed impium hoc & diabolicum dogma ab Augustino & aliis Ecclesiæ Patribus jam dudum solidè est prostritum. Sciendum ergo, quod vocula *patris ejus* referenda sit, non ad Diabolum, sed ad mendacium. Hujus enim pater seu autor est Diabolus. Ipse est verè *ἡλικαίερος*, excogitator & structor technarum, fraudum atque mendaciorum. Ut rectè Augustinus dixerit: *Quomodo DEUS Pater genuit Filium veritatem*: sic diabolus lapsus genuit quasi filium mendacium.

Hic ergò locus de pravitate diaboli probè est notandus: quia vix ullibi in Evangelio illustrior invenitur. Conducit autem 1. ad id, ut sciamus, quinam sit fons omnis mali. Summa est blasphemia, si quis de malo culpæ ita loquatur, vel doceat, ut eius macula aliqua in DEUM Optimum Maximum redundet. DEUS enim noster non tantum torus bonus, sed ipsa bonitas est. Non est DEUS volens iniquitatem: & qui malus est, juxta ipsum nequaquam habitabit. Psal. 5. v. 5. Hoc adeò planum est, ut saniores etiam gentes dixerint: DEOS non esse DEOS, si quid mali velint. Omne ergò malum profluit à Diabolo, patre & inventore mali, homicidii & mendacii. Is ut primus ædes Adami atque Evæ, per Cainum prava opinione de Messia & fratricidio polluit: ita per omnes mundi ætates, ipse unicus is est, qui totum orbem terrarum turbavit tyrannide, idololatria, hæresi-

bus, nec quicquam mali est vel fuit in universo mundo, quod non à malo hoc Spiritu sit inventum. Unde etiam absolute *κακός* sive Malus dicitur, Matth. 13. v. 19. Ephes. 6. v. 16. 1. Johan. 2. v. 13. 2. Monet hic locus, ne quicquam fidamus Diabolo, quia etiam quando vera dicit, specie veri fallere cupit. Hoc reipsa demonstravit inter gentes suis oraculis, quæ omnia fuerunt *ἀμφοτέρωθεν*, dubia & flexiloqua: quibus etiam multos reges fefellit. Quod etiam non pauci ex sapientioribus gentilibus ipsi observarunt. Adeò ut mirum sit, quosdam etiam Christianorum eo vesaniæ prolabi, ut veritatem inquirere cupiant ex necromanticis & iis, qui putantur habere spiritum vaticum. Gravissime tales sunt taxandi. Imò ne quidem in illis suggestionibus est audiendus, quando vel melancholicis vel gravi cum tentatione conflictantibus persuadere nititur, quasi omni gratia DEI exciderint, nec CHRISTI meritum ipsis quicquam profuit. Hic meminerint tentati, Diabolum mendacium esse & mendacii patrem. Seque universalibus DEI promissionibus per fidem includant, scientes DEUM per seipsum jurasse, quod non velit mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat. Ezechiel. 18. v. 23. & 33. v. 11. 3. Denique discrimen etiam notandum, inter Diabolum & homines. Homines licet peccent, licet mali quid faciant, aut mendacium loquantur: tamen non sunt mendacii patres, nec *ex propriis* loquantur, sed vel ex Diaboli, vel ex ejus organorum suggestionem & impulsione id faciunt. Diabolus autem mendacia & pravitates suas ex seipso habet, & propria malitia impellitur, ut male agat. Certè ex semet ipso mendacium hausit, quo miseræ Evæ persuasit, nequaquam ipsa morte morituram, si de vitæ arbore comederet, sed DEO similem futuram. Postea Eva decepta & à diabolo inducta, etiam Adamo mendacium illud, verum non ex semet ipsa, sed ex diabolo suggestum, proposuit, eumque seduxit. Ideo homini persuasionem diaboli seducto, Redemptor & Vindex datus est: Diabolo *ex semet ipso* peccanti, non item.

Hicce, quæ Christus de Satanæ malitia adduxit, hoc modo expositis, sensus hujus secundi membri, quo Christus probat, *Judeos ex patre diabolo esse*, planus erit. Vult dicere: Diabolus ab initio est homicida & mendax, quicumque ejus artes imitantur, illi merito *filii diaboli* dicuntur. Sicuti vobis Pharisæis & Scribis tanquam viris in scriptura exercitatis, non ignotum esse potest, quod Deut. 13. v. 13. Jud. 19. v. 22. 1. Sam. 1. v. 16. & 2. v. 12. Sam. 16. v. 7. & 20. v. 1. *filii Belial* dicantur ii, qui ad imitationem satanæ à DEO defecerunt, & neque jugum neque imperium Dei ferre volunt. At vos utrumque Diaboli artificium imitamini. 1. homicidium, quod me hominem immerentem & innocentem ad mortem quæritatis, atque sic *desiderii patris vestri*, Diaboli, qui per vos insidiatur calcaneo meo, Gen. 3. v. 15 sperans se hoc modo me extinguere posse, *vultis obsequi*. 2. Mendacium, quia *mibi, qui veritatem dico, non creditis*. Ut n. diabolus veritatem nulla alia de causa odit & persequitur, quam quia depravata ipsius naturæ & impiis studiis adversatur: ita & vos Evangelii mei doctrinam eadem de causa rejicitis. Quis ergò non videt, vos verè filios Belial sive Diaboli esse?



Latent autem in hac Christi argumentatione adhuc alia quædam notatione digna, quæ utiles doctrinas præbere possunt. 1. Quod Christus diabolo attribuit *feras desideria* nocendi, sed non vires: voluntatem, sed non facultatem. Si enim satanas tantum posset, quantum expetit & vult, totum terrarum orbem dudum evertisset. DEUS ergo potenti & regia manu ipsum coercet, & cohibet, ne piis plus noceat, quam ipse novit iis cooperari in bonum. Rom. 8. v. 28. Sic cohibuit Exod. 12. v. 29. angelum percutientem, ne noceret primogenitis Israelitarum. Sic contra Jobum Diabolus ulterius non sapere potuit, quam quantum DEUS concessit. Job. 1. v. 12. & 2. v. 6. Hæc usque adeo vera sunt, ut Matth. 8. v. 31. diaboli non a sint in porcos ingredi, donec Christus permittat. Simul tamen considerandum, cuius beneficio DEUS satanam freno coerceat, ne nos pro libitu damno afficiat. Nimirum contingit id nobis beneficio intercessionis Christi, unde ipse in passione Petro dicit, Luc. 22. v. 31. Simon, Simon, ecce Satanas expedit vos, ut cribraret sicut triticum: Ego a. rogavi pro te, ne deficiat fides tua. Hunc ergo patronum retineamus, tum Diaboli insidia non nocebunt animæ nostræ. Quod verò de diabolo dictum est, idem etiam de ipsius organis intelligi debet: quod non habeant liberam potestatem nobis nocendi, sed DEI manu gubernentur.

2. Ex hoc loco etiam desumi possunt notæ filiorum diaboli: nimirum, quicumque volunt facere desideria diaboli: tum quoad mendacium, tum quoad homicidium, illi pro diaboli filii sunt habendi. Argute aliqui hic disputant, non omnes esse diaboli filios, qui diaboli opera faciunt: sed tantum eos, qui ipsius desideria explere cupiunt. Et sane non negavero, distinctos esse gradus hominum impiorum: & alios quidem desideria diaboli habere, alios verò opera Diaboli facere, alios denique & desideria & opera Diaboli explere. Licet autem alius alio gravius peccet: tamen in quocunque gradu quis subsistat, excusari nequit, quo minus inter Diaboli filios numeretur. Certè David, cum Uriæ uxorem adulterio contaminasset, atque in super Uriam ipsum mendacibus literis ad necem instruxisset, non tantum opera satanæ perpetravit, sed etiam desideria ejus explevit. Ac proinde in hoc ipso facto Diaboli filius fuit. Quod etiam ipse humiliter agnovit. Cum enim Semei ipsum 2. Sam. 16. v. 7. virum Belial, hoc est, Diaboli filium, nominaret, & Abisai propterea caput ipsi amputare vellet, prohibuit id David, & Dominum ipsi præcepisse fatetur, ut sibi malediceret. Nam revera tanquam Diaboli filius in hisce Diaboli desideris periisset, nisi, per poenitentiam, ex Diaboli laqueis resipuisset, & ad DEUM reversus fuisset. Quapropter non prodest ejusmodi distinctiones quarere, quæ faciunt ad excusandas excusationes in peccatis. Psal. 141. v. 4. Quin potius fideles verbi ministri magna severitate auditores suos absterreant, ne in satanæ sive desideria sive opera consentiant: siquidem per illa in numerum filiorum Diaboli delabuntur. Ut autem tanto plus permoveantur, sibi ab hujusmodi desideris & operibus studiose cavendi, prolixè hic ex methodicis libellis exponi potest, quam variè quis semendacio cum adversus DEUM, tum adversus proximum, tam in

prima quam in secunda tabula polluere possit. Item quam multipliciter quis homicidium & manu, & lingua, & corde committere possit. A quibus omnibus abstinere quis debet, nisi inter Diaboli sobolem numerari velit. 3. Sicut Christus in sui temporis Judæis taxat fastidium audiendi veritatem: ita adhuc hodie idem in nostri temporis hominibus taxandum. Natura enim omnes proclives sumus magis ad audienda vana, inutilla, imò noxia, quam ad audiendam veritatem. Vanis legendis & fabulis ab ociosis Monachis confectis quidam integrum diem sine fastidio attendent: at si quis ex DEI verbo horam unam concionem salutarem audire debeat, molestum illud ipsi accidit. Quam naturæ depravationem agnoscamus & corrigamus.

3. Tertium membrum hujus tractationis est, quod Christus & suæ personæ innocentiam & doctrinæ veritatem tuetur. Poterant enim Judæi dicere: nos libenter te audiremus, tibi que fidem haberemus, si certo sciremus, te a DEO missum, & veritatis præconem esse. Quia verò vulgaris homo es, non tutum esse videtur, relicta a vita religione, tibi adherere. Huic tacite objectioni Christus per præoccupationem occurrit & ostendit, illos nullam tergiversandi justam rationem habere, dicens: *Quis ex vobis arguet me de peccato? Propter tantum mendacii mentionem facere, ut diceret: quis ex vobis me de mendacio arguet? Sed ut generalior esset propositio, pro mendacio peccatum ponit, liberam adversariis faciens potestatem, tam in vitam quam in doctrinam suam inquirendi, & si possent, ipsum publicè coram vulgè ullius sive lapsus sive erroris convincendi. Utitur a. verbo ἐλεγγειν, quod non simpliciter accusare, sed firmis argumentis convincere significat. Nam omnino Judæi Jesum sapè de peccato accusabant, ut quod in doctrina ipse sibi testimonium daret, & quod Sabbatum, homines in eo sanando, violaret. Sed calumniæ potius hæ erant, quam ἐλεγγειν: unde etiam passim Dominus ipsis, inique se traducentibus, ora obstruxit, certisque argumentis convicit, ipsos absque justa causa finistrè de se judicare. Hic verò disertè dicit. Si quisquam vestrum est, qui vel doctrinam meam de aliqua falsitate, vel vitam meam de aliquo lapsu vel peccato convincere possit, ut propterea doctrinam meam non recipiendam arbitretur: is in medium prodeat, quicumque sit, proferat Mosis & Prophetarum testimonia, & (ut olim Jacobus Labano dixit, Gen. 31. v. 37.) coram his fratribus nostris proponat, qui judicent inter nos. Si verò veritatem dico, quare vos non creditis mihi? Quasi diceret: Res sanè mira, impostoribus, qui ex se loquuntur, & qui vos ad æternum interitum deducere cupiunt, sicut etiam Joh. 5. v. 43. idem vobis objeci, creditis, eis fidem habetis, eos evehitis: Ego verò ita doceo, ut non possitis probare me usquam in scripturam a DEO traditam, in Mosen vel Prophetas impingere: sed ipsi fateri cogimini, cœlestem eam esse doctrinam, nec unquam hominem ita locutum esse: Johan. 7. v. 46. doctrinam insuper meam stupendis miraculis confirmo: neque eam scandalis deformat: & tamen doctrinam meam non suscipitis, ei nullam fidem habetis, sed blasphematis. In vulgaribus causis, quando sermo vel*

res non potest argui falsitatis, tum cedunt homines, nec acerbe veritati monstratae contradicunt: qui ergo fit, quod DEI verbo, quod vos nullius vanitatis convincere potestis, tamen non creditis? At causam Ego ipse vobis indicabo: *Qui ex Deo est*, hoc est, qui Spiritu DEI se regi patitur, & qui cura animae suae adhuc afficitur, hic *verba Dei audit*, hoc est, non tantum avidis auribus illud accipit: sed etiam quando per illud monetur vel arguitur, infirmitatem suam agnoscit, eam deprecatur, remissionem petit, emendationi studet: & qui hoc facit, ille hanc consolationem habet, quod propter Christum DEUS sit peccata ipsius contecturus, nec ipsum sua gratia deserturus. Sed quid vos? Ego adeo diserte veritatem vobis propono, ut negare non possitis doctrinam esse bonam, salutarem, coelestem. Quod si eam capere non potestis, debeatis ad DEUM gemere & orare pro gratia sancti sui spiritus, ut possitis eam suscipere, vos emendare, sicque pravitatem ingenii deponere. Sed *vos non auditis*, nihil horum facitis: quin potius vehementioribus animis vos mihi opponitis, reddimini deteriores, & omnes occasiones quaeritis divinam meam doctrinam impediendi & opprimendi. Hoc certissimum indicium est, quod *ex Deo non estis*, quod DEUS vos deseruit, vos in reprobam mentem tradidit, sicque Ego nimis verè dixerim, vos nec Abrahami, nec DEI, sed diaboli filios esse.

Sic verò dicendo, Christus regulam tradit suis ministris, Ecclesiarum doctoribus, quod conciones suas ita instituere debeant, ut auditoribus concedant & liberum reliquant, si quae non dextrè vel plenè percepissent, interrogandi & pleniorum explicationem petendi. Si enim DEI filius, qui prodiit ex sinu patris, in quo habitat tota plenitudo divinitatis corporaliter, in cujus ore non est inventus dolus, & qui est ipsa veritas, adeo ut errare nequeat, acerrimis suis hostibus hanc potestatem concessit, se de errore convicendi, si possint: cur me pudeat, meos auditores in hunc modum alloquendi? Ego non ita praedico vobis verbum DEI, quasi propterea verum sit quod dico, quia ego sto in excelsiori loco, neque quisquam hic audeat mihi obloqui: Sed vobis integrum est, si quid non sufficienter assecuti essetis, ut de eo me postea interrogetis. Ego vobis de singulis rationem reddam: ubi sententia mea in scriptura fundamentum suum habeat, monstrabo: quae in speciem pugnae videntur, conciliabo: & singula plenius explicabo. Hoc fecerunt Berthoenses, Actor. 17. v. 11. quotidie scrutantes scripturas, si haec, quae Paulus & Barnabas docuerant, ita se haberent. Et Paulus 1. Cor. 14. v. 29. in Ecclesiis ita ordinavit, ut Prophetæ duo aut tres dicant, & ceteri dijudicent. Quod si alii revelatum fuerit sedenti, prior taceat. Vix fieri potest, quin interdum concionator aliquid dicat, quod auditores offendat. Valeat ergo nunc regula CHRISTI: *quis ex vobis arguet me de peccato?* Si concionator erravit, in posterum corrigat linguam: sin veritatem dixit, alter cedat & credat.

2. Auditoribus quoque Christus seriam hic ingerit commonefactionem, ut sibi caveant, ne doctrinae fidei contradicant, nisi eam ex scriptura falsitatis arguere & convincere possint. Id enim si

faciant manifestè se produnt, quod *non sint ex Deo*, sed ex Diabolo. Verum est: Animalis homo non percipit ea, quae sunt Spiritus DEI, 1. Cor. 2. v. 14. Sed *qui ex Deo est*, is admittit institutionem. Imò etiam hoc accidere potest, ut in doctrina religionis quis turbetur, & aliquos articulos non intelligat, nec assequatur. Sicuti Sara non potuit assequi, quod ipsa anus esset filium conceptura & paritura: Genes. 18. v. 10. & Maria virgo non omnia assecuta est, quae ex angelo & pastoribus audivit. Lucae 1. v. 34. & 2. v. 19. Sed caveant pii, ne cum Sara rideant: quin potius cum Maria verba conservent, & conferant, in corde suo, ut sic per verbum DEI sensim plenius informentur, imò per illud tanquam per vivificum DEI semen in DEI filios regenerentur, donec Christus in ipsis formetur. Galat. 4. v. 19. Nam, qui per verbum DEI erudiuntur, sed illud admittere nolunt, aut etiam, si maxime non possint erroris arguere, tamen contradicunt & sunt obstinatiorum, illi certo sunt ex Diabolo. *Ex Deo enim est*, qui credit verbo DEI, & ex eo renatus non facit peccatum. 1. Joh. 3. v. 9. Ex Diabolo autem seu malo est, sicut Cain, 1. Joh. 3. v. 12. quicumque verbum DEI non audit, aut illo audito abit, & occidit fratrem. Sed haec est fors verbo DEI peculiaris, quod cum homines alias veritati locum dent, DEI tamen verbo nemo vult cedere, sed plerique in contradicendo ad propriam perniciem sunt ingeniosi. Nimirum verbum Dei est signum contradictionis. Luc. 2. v. 34.

3. Tandem Christus conjunctim & doctoribus & auditoribus hanc tradit regulam. Quod veritati absque personarum respectu & absque omni contradictione locus sit dandus. *Si veritatem dico, cur non creditis mihi?* Veritas enim est *cur me*, quae ex semet ipsa auctoritatem habet, cui nihil accedere potest, ex dignitate eorum, qui ipsam praedicant: nihil etiam decedere ex eorum demeritate. Hanc regulam si hodie omnes admitterent, quam plurimi adhuc ex regno Antichristi liberari & ad veritatem Evangelicam adduci possent. Quam multi enim inveniuntur, qui fatentur doctrinam nostram, de unico mundi Redemptore & Mediatore, de fidei justificatione, de bonis operibus ex gratitudine faciendis, & de tota ratione salutis nostrae, esse verissimam: contra Jesuitarum clamores de peregrinationibus instituentibus, de calice laicis adimendo, de purgatorio esse vanissimos. Et tamen Evangelicam veritatem recipere nolunt, tantum hac de causa, reformationem Ecclesiae non instituendam fuisse à fugitivo Monacho Lutero, & paucis ejus assecclis, sed à Pontifice, Cardinalibus & Episcopis, tanquam Ecclesiae columnis & luminibus. Sed quid tum postea? Fuerit Lutherus Monachus, quid hoc ad nos? Examinemus ejus doctrinam, an ex DEO sit, an ex hominibus. Si ex DEO: cur eam non audiunt. Si ex hominibus: cur eam non erroris coarguant? Sed quia negare nequeunt eam esse veritatem, & tamen recipere nolunt, an non ipsi aperte se produnt, quod non sint ex DEO, sed ex Diabolo?

IV. Adversus haec Christi dicta Pharisei excipiunt, & dicunt: Non propterea nos erimus diaboli filii, licet doctrinam tuam non suscipiamus, sed persequamur. Nam tu es Samaritanus, apostata, qui à lege & populo Dei defecit. Et quemadmodum

jam

jam olim Samaritani migma quoddam fecerunt ex Judaismo & gentilismo: ita enim tu committes tua cum Mose. Ac proinde jure optimo tuam doctrinam, seu mixturam prophanam, rejicimus. Adhuc habes demonium: nimirum, quando edis miracula, quibus tuam doctrinam vis confirmare, cum edis ea operâ Beelzebub, principis dæmoniorum. Sic verò dicendo duo gravissima convicia adversus filium DEI conjungunt, quorum uno ipsius doctrinam, altero vocare conantur. Sic nempe solet convicta impietas, quando non habet quod veritati respondeat, sese convertere ad convicia. Verum quomodo gravissimam hanc suam accusationem probant? Nam si accusare sufficit: quis erit innocens? Sic probant: *nonne NOS bene dicimus?* Opponunt Christi humilitati suarum personarum auctoritatem & sublimitatem: *NOS* Pontifices, Aaronis vicarii & Sacerdotes, qui in ordinaria successione templo servimus: *NOS* Pharisei & Scribæ, quin in cathedra Moïsi sedentes Legem ejus in Synagogis prælegimus & interpretamur: *NOS* hoc dicimus: hoc sufficiat, nemo contra mustitet. Eodem modo quo Jesuitæ hodie nos Evangelicos pro perditissimis hæreticis, Judæis & Turcis deterioribus, ac non nisi rota ac igne dignis, proclamant: & si quis dicat, quæso quomodo probatis Lutheranos esse hæreticos? Mox exandescunt & exclamant: An non Pontifices Romani, Christi vicarii, Apostoli Petri successores ordinarii, cum toto Cardinalium & Episcoporum in Tridentino Concilio concorditer congregatorum cœtu hoc unanimiter pronunciarunt? An non hoc probationis loco sufficiat? Ad hosce Jesuitarum clamores & probationes protinus totus mundus obmutescere debet. Sed bene habet. Non est servus major Domino. Si Christum persecuti sunt, etiam nos persequentur. Si Christi sermonem servaverunt, etiam nostrum servabunt. Joh. 15. v. 20. Si patrem familias Beelzebub vocarunt, quanto magis domesticos ejus? Matth. 10. v. 25. Non potuerunt Jesum Pharisei de ullo peccato arguere, & tamen irarum atque odii flamma eo ipsos impulerunt, ut maledicæ suæ linguæ frena eousque laxarent, ut hominem innocentissimum, legis divinæ observantissimum, & qui quotidie novis beneficiis suum studium & amorem erga quosvis declarabat, tantis convitiis onerarent. Eadem olim fors fuit tam Prophetarum quam Apostolorum. Elias habitus est pro eo, qui turbaret Israel. 1. Reg. 18. v. 17. Jeremias insimulatus est, quod fuerit vir rixarum & discordiæ in universa terra. Jerem. 15. v. 10. Amos accusatur ab Amasia, quod rebellavit contra regem. Amos 7. v. 10. Paulus & Barnabas insimulantur, quod concitent totum orbem terrarum. Act. 17. v. 6. Quid ergo mirum Jesuitas integra convitiarum & calumniarum plaustra adversus Lutherum ejusque in fide socios evomere? Duo enim grandia peccata, quæ non nisi morte piari possunt, commisit. Nimirum, quemadmodum Christus Pontificum traditiones taxavit, Phariseorum hypocrisim arguit, & publicam Ecclesiæ reformationem urgit: ita Lutherus idem fecit, atque sic Papæ coronam & Monachorum ventres attigit. Quin etiam illud hodierno die

non raro evenit, quod verbi minister, licet tam innocens esset, quam DEI angeli, tamen calumniatoribus non deest materia vel accusandi, vel obtrectandi, vel conviciandi. Quisque ergo viderit, ut se tueatur testimonio innocentie & bonæ conscientie. Hæc enim est optima Apologia.

Sed audiamus, quomodo Christus hanc Phariseorum exceptionem diluerit. Et est hoc membrum nostra ætate notatu dignissimum. Quia tradit certam regulam, ex qua veritas divinæ & cœlestis doctrinæ omni tempore cognosci potest. Cum ergo hodie nobis lis sit, non tantum cum Pontificiis, sed etiam cum Calvinianis, qui & ipsi gloriantur, se DEI verbum non minus habere, quam nos habeamus, diligenter hanc regulam examinemus. Summa hujus regulæ hæc est: Quæcunque doctrina, & DEI gloria, & hominum salutem promovet, illa pro divina est agnoscenda. Ad hanc regulam Christus tum suam tum aliorum doctrinas examinari, & inde judicium sumi vult, utrum divinæ sint, an humana, vel etiam diabolica. Convitiis itaque quasi negligit & licet pede transit, de eo tantum sollicitus, quomodo doctrinæ suæ veritatem & sinceritatem adstruat. Nobis quoque suis ministris exemplum relinquens, quomodo & qualiter cum antagonistis nostris congregari debeamus. Si quando DEI gloria aut Ecclesiæ doctrinæ puritas est defendenda, acres simus, nec quicquam silentio prætermittamus: Sin verò hostes nostras personas convitiis inestant, non vicissim conviciemur, sed potius aut silentium præstemus, aut si omnino respondendum est, cum lenitate & modestia ea depellamus, quæ cum periculo ipsius doctrinæ conjunctis esse videntur. Responsum ergo & regulam Christi audiamus: quæ quia bimembris est, utrumque etiam membrum seorsim excutiamus.

1. Primò dicit: *Ego demonium non habeo, sed co-honesto Patrem meum.* Vult dicere: Cujuscunque doctrina directa est ad DEI gloriam & honorem, ille nec diabolus habet, neque doctrina ipsius est ex Diabolo. At quia mea doctrina nihil aliud spectat, quam unius DEI gloriam. Etenim propterea humanas traditiones patrum rejectas cupio: ut unius DEI verbum apud vos valeat. Propterea fiduciam sacrificiorum repudio: quia uni DEO & ejus gratiæ propter Messiam fidere doceo. Hypocrisim damno: quia DEUM corda & non externa opera intueres scio. Et quemadmodum doctrina mea in DEI honorem vergit: ita quoque opera mea miraculosa, cum inculcata vitæ meæ integritate & incorruptis moribus nihil aliud spectant, quam ut DEUS in ipsis glorificetur. Rursus autem & hoc novisse debetis: quia DEUS Pater non vult honorari nisi in filio, quod omnis doctrina, quæ dehonestat filium, eadem etiam dehonestet Patrem & sit ex Diabolo. Vos autem ignominia me afficiis, dum me & Samaritanum esse & demonium habere calumniamini. Itaque vestra doctrina & vester sermo ex Diabolo proficiscitur. Hoc verò non dico eo fine, quasi gloriæ cupidus doleam me à vobis dehonestari & ignominia affici: Sed quod salutis vestræ cupidus, vestram conversionem quamquam *Ego non quero gloriam meam.* Est qui querat & judicet. Et si enim cœlestis pater non statim & è vestigio

gio punit eos, qui filium suum Jesum Christum ignominia afficiunt: suo tamen tempore, quando ipsi opportunum visum fuerit, sive in hac sine in altera vita ultionem hanc graviter exercet. Hoc est primum membrum hujus regulæ.

Ad hoc membrum, ceu ad certissimam regulam vel paucis saltem examinemus utramque doctrinam, & nostram & Jesuitarum, & mox patebit, quænam ex DEO sit, & quæ ex Diabolo. Nos hoc urgemus, quod Christus unus sit æternus Pontifex & rex Ecclesiæ nostræ, & qui habeat spirituale regnum: quia Apostolis suis dixerit: Lucæ 22. v. 26. Vos non sic, ut reges gentium. Nam quæ videntur: temporalia sunt, quæ autem non videntur, æterna sunt, 2. Cor. 4. v. ult. At pontificii in Ecclesia simpliciter volunt habere visibile & mundanum regnum, in quo Papa præsideat tanquam caput, & cum Cardinalibus ac Episcopis suis habeat mundanas præeminentias. An non hoc est degradare Christum? Nos contendimus unum esse Mediatorem DEI & hominum, hominem Jesum Christum 1. Tim. 2. v. 5. Illi hunc quasi ex throno intercessionis removeant, & divos cœlites ipsi adjungunt. Nos docemus, non esse aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo possint salvi fieri, quam sit nomen Jesu. Actor. 4. v. 12. Hi Christo addunt Missas, quæ tantundem valeant, quantum mors Christi: item peregrinationes, indulgentias in anno Jubilæo, aquam benedictam, & consimiles nugas quam plurimas, de quibus ne jota quidem habetur in sacris literis. Nos ex scriptura tradimus, quod sanguis Jesu Christi filii DEI nos purget ab omni peccato 1. Joh. 1. v. 7. Pontificii per ignem purgatorium pleraque peccata residua expurgari volunt. Nos docemus, justitiam, quam Christus morte & merito suo paravit, & quam Deus gratis hominibus in verbo offert, sola fide apprehendi: illi volunt hoc fieri partim fide, partim operibus, cum tamen Paulus opera *deseripserit* deus excludat, Rom. 3. v. 28 Galat. 5. v. 4. Licet denique totus Papatu ex meris operibus compositus esse videatur: omnia tamen ipsorum opera sunt nugatoria, de quibus Christus dudum pronuntiavit: Frustra me colunt, tradentes mandata hominum: Matth. 15. v. 9. Cum ergo hæc omnia nec in DEI Patris nec Filii honorem vergant, judicent omnes; quos DEUS spiritu discretionis donavit, utra pars habeat quintum Evangelium sive Cacangelium (sicuti Jesuitæ nostram doctrinam per contentum & ludibrium vocant) & utrius partis doctrina sit ex diabolo. Nostra certe doctrina honorat Patrem, quæ docet humiliter suscipere eum, quem ipse misit: tribuit ei honorem bonitatis, gratiæ & sapientiæ, qui tale medium salutis invenerit, quo ipsius justitiæ satisfiat, & ipsius misericordiam erga miserum humanum genus exercere possit. Honorat eadem doctrina etiam filium. Hujus enim meritum tum magni sit, quando humiliter agnoscimus, omnino nobis in æternum pereundum fuisse, si absque ipso fuisset, nec aliud remedium salutis in orbe inveniri potuisse, quam in ipsius passione & morte: ac propterea nos ipsum in perpetuum celebrare velle.

Eodem modo etiam Examen institui potest quoad articulos inter nos & sacramentarios contrarios. Certè nec ad DEI patris, nec ad Christi

gloriam facit: quod Calviniani DEUM faciunt autorem peccati, qui extraordinario usu linguæ serpentem armavit, ut Evam deciperet: statuunt DEUM multa millia hominum ab æterno ad damnationem prædestinasse & creasse, absque omni prævisa culpa, duntaxat ut habeat, in quibus justitiæ suæ rigorem ostendat: statuunt filium Dei pro majori parte hominum, nimirum pro reprobis nec incarnatum, nec passum, nec mortuum esse, neque etiam ipsum velle, ut illi per verbum & sacramenta regenerentur: docent eum non qua homo, sed tantum, qua Deus est, adorandum esse: problaterant sanctissimam humanam Christi carnem in edendis miraculis non plus cooperatam esse divinitati, quam fecerit baculus Moysi: contendunt DEUM cum omni sua impotentia non posse efficere, ut unum idemque corpus, etiam filii sui, uno tempore in pluribus sit locis quam in uno. Et consimilia multa tradunt atque mordicus tenentur, quæ & Patris & Filii gloriæ immodicum derogant, sicuti alibi à nobis ostensum. Atque hæc ob causas ipsorum doctrinæ in nostris Ecclesiis nequaquam locum concedere possumus.

Alterum membrum hujus regulæ est: *Amen, amen, dico vobis, si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in æternum.* Hisce verbis suam doctrinam, suumque Evangelium à se prædicatum, non tantum opponit doctrinæ diaboli, sed etiam eam præfert omnibus doctrinis in toto terrarum orbe. Vult dicere: Vos Judæi ipsi novistis, Diaboli doctrinam ejusmodi dogma esse, cujus fructus est animæ mors & æterna damnatio. At mea doctrina talis est, ut si homo illam animo suo concipiat, complectatur, retineat, mortem non videat in æternum. Itaque doctrina mea nequaquam est ex Diabolo. Ad hæc non ignoratis vos Judæi, per peccatum mortem intrasse in mundum. Jam verò variæ doctrinæ sunt inventæ, quæ secundum hominum opinionem debeant esse remedium contra mortem. Qualis fuit Philosophia apud gentes: Syncretismus ille & mixtura variarum religionum apud Samaritanos. Vos Pharisei quoque habetis vestras traditiones: sed quid illæ prosunt ad versus mortem? Imò optima & summa omnium doctrinarum est lex Moysi. Sed & illa est ministerium mortis. 2. Cor. 3. v. 7. Proponit illa peccata, sed non tollit: terret morte, sed huic non medetur, insonat maledictionem, sed eam non aufert. Sola mea doctrina, utcumque vos eam calumniâmini, solidum & verum monstrat remedium adversus peccatum & mortem. Et quia Christus hanc sententiam de sua doctrina proferens, non tantum hostes suos, Phariseos & Sacerdotes, sed etiam illos, qui paulo ante in ipsum credidisse dicti sunt, auditores habeat: ideoque, ut ipsos in fide confirmet, magna asseveratione & duplici juramento utitur: *amen, amen, dico vobis.* Quis verò est ille, qui hoc dicit? Magnus ille Propheta, de quo Deus per Moysen prædixerat Deut. 18. v. 18. ponam verba mea in ore ipsius: & qui verba, quæ loquitur in nomine meo, audire noluerit, Ego ultor existam. Et de quo nuper Matth. 17. v. 5. dixerat: Hic est filius meus dilectus: ipsum audite. Ergo & nos ipsum audiamus & sermonem ipsius *servemus*, quod fit, quando non tantum memoria eum retinemus, in corde bono & probato: sed & eidem obsecramus,

damus, afferentes fructum in patientia, Lucae 8. v. 15. Effectus enim inde sequitur egregius & inexplicabilis, nimirum remedium adversus aeternam mortem. Vulgo alias dicitur: Contra vim mortis, non herbula crescit in hortis. Sed Christianus audiens & servans verbum Christi, per verbum & baptismum regeneratus, per fidem justificatus, & per spiritum DEI renovatus, scit se in Christo & per Christum vivere in aeternum: & mortem suam non esse mortem, sed corpori somnum, animam verò transitum ad vitam aeternam. Joh. 5. v. 2. v. 2. Et hoc praestat sermo Christi, non sermo Moysis. Hac etiam causa est, ob quam fidus Christi servus & Apostolus Paulus, quali durior esse videtur in legem Moysis, & passim urget fidem in Evangelium Christi: quia haec sola est vera via ad vitam. Lex per Moysen data est: gratia & veritas per Jesum Christum facta est. Joh. 1. v. 17. Omnes homines passim magno labore & immensis sumptibus quaerunt medicamenta adversus mortem, quae tamen vel tandem, quando hora à DEO praestituta advenerit, deprehenduntur inania. Hanc veram animi & corporis medelam plerique negligunt.

Ad hoc secundum membrum rursus nostram doctrinam & aliorum, ceu ad Lydium lapidem, examinemus, & patebit, cui sit fidendum. Jesuitae calumniantur Lutheri doctrinam, quasi sit ex Diabolo: sed novimus, multa millia hominum placide & quiete, jam ante plures annos huic doctrinae indormisse, & plena spe latissimae resurrectionis à nobis discessisse. Idem quotidie videmus in iis, qui hodie à nobis transmigrant ad aeternam beatitudinem, ut vel sola animorum alacritas, qua ad Christum pergunt, nos in fide nostra confirmare debeat. Jesuitae & Pontificii ipsi suos observent, & qualiter discedant, attendant. Certè rerum dubii, modo ad divos opitulatores, modo ad consecratos suos cereos, mox ad indulgentias, rursus ad obsequia mortuorum, tandem ad purgatorium tremebundi se convertunt, passim auxilium quaeritantes, & nihil solidi, in quo anxia conscientia acquiescat, invenientes. Sic intueantur etiam Sacramentarii suos progenitores Berengarium, Carolostadium, Stosselium & alios, quos saucia conscientia & non sine signis desperationis hinc emigrasse certum est. Nos laeti valedicimus mundo: quia nobiscum habemus Christum, qui pro peccatis satisfecit, ea merito sanguinis sui delevit, nos contra Satanæ insultus tuetur, & per mediam mortem traducit in vitam aeternam, ad immortales beatorum sedes.

V. Poterant haec, quae Christus pro comprobatione caelestis & salvificae suae doctrinae adduxit, omnibus, qui non omnem DEI timorem abjecissent, satisfacere. Etenim & divini iudicii denuntiatio, & promissi amplissimi praemii de aeterna salute pollicitatio, ipsos permovere debeant, ut quae à Jesu dicebantur, Judaei diligentius expendere. Verum hisce omnibus adeo nihil moti sunt, ut subinde deteriores facti, jam novum artificium scurriliter Christum exagitandi assumant: scilicet, verborum ejus perverlionem & contorsionem. Nam cum Christus seipsum & doctrinam suam defendisset ab effectu ejus, qui sit, quod mortem pellat, & Christus hoc locutus esset de spirituali morte, quae est separatio animae à Deo: ipsi illud

malitiose detorquent ad corporalem mortem, quae est separatio animae à corpore. Dicunt ergo: *Nunc cognovimus, quod demonium habes.* Impudentiam suam & calumniandi libidinem proprio ore produunt. Nam o boni vos Domini, si nunc modo cognoscitis, quod Jesus demonium habet, cur jam ante ipsum ejus tam audacter insimulastis? Unde verò hoc nunc cognovistis? Respondent: inde, quia tanta tibi ipsi & tuo verbo tribuis: *Abraham mortuus est, & prophetae mortui sunt*, imò ipse Moses mortuus est, antequam tu natus esses, & tu jactanter dicis, eos non gustare mortem, qui sermonem tuum audiunt. *Quem te ipsum facis?* Quae est tua insolentia, quod non tantum nos contemnis, sed etiam omnibus Prophetis te praefers? *Numquid major es patre nostro Abraham*, viro sanctissimo & totius nostrae gentis autore primo? Sic ergo ambitionis crimen ipsi impingere conantur, quasi nimium seipsum exaltaret, & alienam personam, quam sustinere non posset, usurparet. At eo ipso, dum Dominum Jesum ita scurriliter ridet, ipsi suam caecitatem cum malitia extrema conjunctam produunt. Malitia n. est, verba, per se plana, ita malitiose contorquere & pervertere. Summa autem caecitatis est, quod de nulla alia morte quicquam sciunt, quam de morte corporali, qua Abrahamus mortuus esset. Cum tamen Abrahamus, licet corporaliter mortuus, coram Deo vivat. Matt. 22. v. 32. Indiget ergo & ipse vivificatore. Quem autem habiturus est, praeterquam Messiam? Uti jam taceam, Pharisaeos quotidie quamplurima vidisse, ex quibus colligere poterant Jesum & Abrahamo & Prophetis longè esse superiorem.

Hoc Pharisaeum artificium, quo quis antagonista verba captiose contorquet & pervertit, in excellenti gradu didicere Jesuitae, & inter hos infelix apostata Pistorius: qui ferè tantum ludunt amphibologiis, æquivocationibus, elusionibus, laedoriis & scurrilibus fannis. Si quis hujus specimen vel exemplar habere cupiat, legat Ratisponense colloquium, & in eo observet Gretseri & imprimis furiosi Tanneri velitationes. Ejusmodi Lojolicas futilitates ibi inventurus est, ut ipse sit affirmaturus, hosce novitios Pharisaeos veteres illos suos praecceptores longè superare. Quanquam etiam in eo conveniant, quod quemadmodum hic Judaei aeterno DEI filio Abrahamum & sanctos Prophetas opponunt, & horum honore illius gloriam obscurare nituntur: ita & ipsi hodie sanctis suis caelitibus & Martyribus divinos honores, etiam cum ignominia Christi, deferre cupiunt. Merito ergo ipsorum nugas fugimus & vitamus.

Quid verò Christus ad scurrilem hanc suorum verborum exagitationem? 1. Ante omnia ambitionis crimen abs se removet, & causam ostendit, unde verbum suum sit ministerium vitae & potentia ad salutem credenti atque servanti: *Si ego glorifico me ipsum, gloria mea nulla est, &c.* Vult dicere: Si ego excogitasset Evangelium illud, quod praedico, tum non immerito de ejus effectu dubitare possietis. *Sed ego novi Deum, & sermonem ejus servo.* Hoc est, Ego doctrinam meam à sinu Patris profero, & novi, quid à sacrosancta Trinitate de hominum salute sit decretum. Ibi conclusum est, quod Deus hac ratione, quam ego in Evangelio meo ostendo & doceo, & non alia, credentes velit

velit salvare. Hoc decretum mihi, tanquam filio (ut novistis ex Psal. 2. v. 6.) ut prædicem demandatum est. Erit igitur firmum & ratum, licet vos, & omnes gentes, reges terræ & principes populorum, una cum universo mundo contra frematis & tumultuemini. Et si ego tacerem, aut *me Deum non novisse dicerem*, sicque Evangelium salutis vobis etiam invitis non ingererem, *mendax essem sicut vos*: quia mundum privarem summo illo thesauro, quo ex Satanæ homicidio & mendacio, ministerio meæ doctrinæ, rursus ad vitam & veritatem æternam eluctari possunt. Itaque meum Evangelium docendum erit, licet vos rumpamini.

2. Postea vero Christus depulso abs se ambitionis crimine, idem in adversarios suos regerit, & manifeste probat, ipsos ambitiosa insolentia jactare se esse illos, qui tamen minime sint. Vos identidem gloriamini, vos solos præ omnibus gentibus esse populum Dei, quem sibi ipsi elegerit in peculium præ cunctis populis. Exod. 19. v. 5. At si quis vos penitus inspiciat, vos *ne novisse* quidem illum verum Deum deprehendat. Cæterum hæc Christi insimulatio, qua dicit Judæos Deum non novisse, absurda esse videtur. Utiq; enim Judæi, qui sese segregarant ab omnibus gentibus, quæ pluribus & fictitiis Diis serviebant, unum illum Deum colebant, qui in principio cælum & terram creavit, & postea progressu temporis cum sanctis ipsorum Patribus fœdus inivit. Hic postea per verbum in Mose & Prophetis se ipsis manifestavit. Unde Asaph in Psalm. 76. v. 1. canit: Notus in Judæa Deus in Israel magnum nomen ejus. In Salem est tabernaculum ejus, & mansio ejus in Sione. David quoque in Palm. 147. v. 19. Deus nunciat verbum suum Jacobo, & decreta sua Israel. Non fecit taliter omni nationi. Quomodo ergo Christus dicit Judæos Deum non novisse? Resp. Christus ipse dicti sui rationem ponit, qua monstrat, quid potissimum ad veram, solidam & salvificam Dei cognitionem pertineat. Nimirum duo hæc. 1. Ut quis Deum cognoscat in filio. Ideo dicit: *est pater meus, quem vos dicitis esse Deum vestrum*. Cum ergo Judæi non agnoscerint Messiam hujus Dei filium esse, vere ipse dixit, eos Deum non novisse. Ignorabant enim eum in quo solo Deus se manifestat, & in quem solum omnes promissiones & Legis & Prophetarum fuerunt directæ. Non ergo satis est legem secundum literam novisse, nisi quis etiam Christum, qui scopus est totius scripturæ, & finis legis ad justitiam omnino credenti, Rom. 10. v. 4. simul norit. Qui enim filium non habet, is nec patrem habet, nec vitam. 1. Johan. 5. v. 12. 2. Ut quis etiam sermonem Dei servet. Ideo dicit: *novi Deum, & sermonem ejus servo*. Impossibile enim est, ut quis summum illud & æternum bonum cognoscat, & non idem amet: si amat, certe modis omnibus ipsi se probari, eique placere studet: hoc studium sequitur verbi observantia & obedientia, qua se Dei voluntati pro virili accommodat. Huc respexit Deus, dum dixit Mal. 1. v. 6. Filius honorat patrem, & servus dominum suum: si ergo pater ego sum, ubi est honor meus? & si dominus ego sum, ubi est timor meus?

Hæc duæ notæ veræ cognitionis Dei probe sunt

Harm. Tom. I.

observandæ. Secundum illas enim examinari debent illi, qui de Dei cognitione gloriantur, ut sinceri & veri Dei cultores à vanis discerni possint. Juxta primam notam, non tantum Judæi & Turcæ, qui multum de vero Deo conditore cœli & terræ gloriantur, excluduntur: sed etiam magna ex parte Papistæ. Hi enim etsi Christum nominatenus profitentur: quia tamen ejus meritum non agnoscunt, & gloriam ipsius alio transferunt, quis eos vere Christum novisse concedet? Per posteriorem notam Pseudo Christiani excluduntur, qui fidem quidem profitentur, sed virtutem ejus abnegant. His enim semper objici potest: Si Deum novistis, cur sermonem ejus non servatis? cur adeo frigidi estis in vera religione defendenda, propaganda? cur sanctissimum ejus nomen execrando & dejerando polluitis? cur conciones tam raro visitatis? cur helluationibus, scortationibus, usuris & obrectationibus ita indulgetis? Discite ergo abjecta omni improbitate Deum recte agnoscere, agnitione amare, amorem vera obedientia testari: sic pro veris Christianis habebimini.

3. Quoad Abrahamum etiam respondet per infanciam. Vos dicitis Abrahamum mortuum esse sine mea doctrina, sine meo Evangelio. Hoc falsum est. *Exultavit enim Abraham ut videret diem meum, & vidit eum, & gavisus est*. Nam is propter promissum benedictum semen, quod Ego sum, reliquit patriam, & in hanc terram, quam Pater meus ipsi monstravit, concessit. Et licet peregrinationes duras ac difficiles per omnem vitam sustinuerit: *exultavit* tamen in iis, & promissionem sibi datam omnibus totius mundi gazis antetulit, & hoc unicum in votis habuit, ut per me æternæ salutis particeps fieret. *Vidit* ergo in spiritu diem mei adventus, & ex promissione certò meam incarnationem credidit: unde etiam Genes. 24. v. 2. juramentum à servo suo postulans, manu subter femur suum, ob reverentiam seminis venturi, ponere jussit. Passionem quoque & resurrectionem meam *vidit*, in immolatione & liberatione filii Isaac, Gen. 22. v. 2. *gavisus est*, hoc est, pacem & gaudium conscientie inde concepit, atque justitiam habuit coram Deo, non ex Decalogo vel Lege, sed *ex die* benedicti seminis, & ex fide quam in illum concepit. Rom. 4. v. 3. Hæc est simplex & genuina hujus loci expositio. Qua animadvertenda, sponte sua concidunt quæstiones quas aliqui hoc loco movent, scire volentes: quomodo Abrahamus *diem Christi* viderit? & quomodo hic locus conveniat cum eo, qui mox sequetur, Luc. 10. v. 24. multi prophetæ & reges voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt? Pontificii scriptores, ut priori quæstioni satisfaciant, alii quidem distinguunt inter *diem temporalem* adventus Messie in carnem, & inter *diem æternitatis*, qui nesciat ortum, nesciat occasum. Et hunc Abrahamum vidisse statuunt, non minus quam alii sancti in V. T. Alii vero, qui statuunt hunc locum de *die* adventus Christi in carnem accipiendum esse, dicunt Abrahamum sic vidisse eum diem, quod in limbo Patrum existens, intellexerit desideratam Messie nativitatem jam impletam & perfectam esse. Sed hæc sunt fictitia commenta hominum. Si quis sciat, quid sit *dies Christi*, & quid Christus

Aaaaa

Christus

Christus per verbum *videre* intellectum velit, ille ad utramque quaestionem respondere potest. *Dies autem Christi* hoc loco dicitur, tempus illud, quo æternus Dei filius in mundum venire, carnem humanam induere, & in ea opus redemptionis humani generis peragere debuit. Hoc tempus omnes sancti patres olim videre desiderarunt, ut cum Messia coram colloqui, ejusque familiari præsentia frui possent. Sed hoc ipsis non obtigit, juxta illud Luc. 10. v. 24. Interim tamen *Abrahamus vidit diem Christi*, per fidem spiritualibus oculis. Fides enim est *ἰσχυρισμός ἐλεπομένων*, substantia eorum quæ non videntur, Hebr. 11. v. 1. hoc est, fides quæ verbo Dei nititur, etiam de absentibus & nondum existentibus tam certa est, ac si hypostasis eorum jam coram adestet. Etenim verbi divini veritatem certam & infallibilem esse noverunt. Et in hac certitudine etiam Abrahamus tam certo scivit ex sua posteritate benedictum semen proditurum, ac si jam filius Dei incarnatus esset.

Hæc de illo textu. Ex quo si quis etiam alias doctrinas eruere velit, plures invenire poterit. Quales sunt. 1. Quod ambitiosi frustra propriam gloriam querant, & fere communiter prius confusionem quam honorem inveniant. Christi enim seu æternæ veritatis hæc vox est: *Siege* (quicumque sit) *meipsum glorifico, gloria mea nihil est.* Unde recte veteres dixerunt: Gloriam esse instar umbræ, quæ persequentem fugiat, & fugientem persequatur. 2. Potest etiam dici de divinitate Domini nostri Jesu Christi. Dicit enim hic: *est meus Pater, quem vos dicitis Deum vestrum esse.* Atqui Judæi dicebant, æternum illum Deum, qui orbem terrarum in principio creavit, suum Deum esse. Christus ergo æternam suam divinitatem hic asserit. 3. Habemus etiam hic, quid respondere debeamus Jesuitis, si quando illi contra nos producunt Irenæum, Cyprianum, Tertullianum & reliquos Patres, & dicunt: Num vos vultis doctiores esse Augustino? Num major debet esse vestra auctoritas, quam Chrysostomi? *Quos facitis vos ipsos?* Hic imitemur Christum, qui Abrahamum suo reliquit loco: tantum dextre explicavit, quomodo Abrahamus non abjecerit doctrinam sui Evangelii, sed in ea exultavit. Ita nos sanctos Patres suo reliquimus loco, & certi sumus, eos una nobiscum Evangelium Christi amplexos esse. Tantum, si quæ in ipsorum scriptis occurrunt, quæ sacris literis minus consona esse videntur, tum illa ad normam scripturæ exigenda esse commonstramus, & bona cum ipsorum pace spiritus sancti scripta ipsorum scriptis præferimus. 4. Discimus etiam hinc unam eandemque esse fidem, in qua omnes inde ab initio orbis Patriarchæ & Prophætæ mortui & salvati sint. Hinc Apostolus Petrus dixit in Concilio Hierosolymitano, Act. 15. v. 11. Credimus nos per gratiam Domini nostri Jesu Christi salvari, quemadmodum & Patres. Et in adibus Cornelii pronunciauit: Huic Jesu omnes Prophætæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes qui credunt in eum. Act. 10. v. 43. Non igitur tantum Pelagius erravit, qui statuit Patres in duobus primis mundi Millenariis

salvatos esse per legem naturæ: in secundis duobus Millenariis Judæos per legem Moysi: & in reliquis duobus Millenariis Christianos salvari per legem Christi, hoc est, per Evangelium. Cujus opinionis semina jecit Tertullianus. Verum etiam ex hoc fundamento Pontificiorum calumniæ concidunt, quibus nostram doctrinam novitiæ cujusdam fidei seu religionis, & novi Evangelii insimulant. Cum parati simus ex Dei verbo demonstrare, nos in eadem fide, & in eodem Evangelio acquiescere, quod ab ipso Dei filio protoplastis nostris in paradiso fuit annuntiatum. In eadem ergo fide cum Adamo & Eva salvabimur. 5. Denique in exemplo Abrahami nobis ob oculos ponitur, quo ordine Deus electos suos ad salutem adducat. 1. Per verbum promissionis excitat in ipsis *ἀγαλλίασιν*, exultationem, seu ardens aliquod desiderium salutis. Natura enim omnibus inhæret *ἀκίνητα* quædam & torpor, ut securi æternam tam salutem quam interitum negligamus. At quando per verbum nos Deus adducit ad diligentiorum considerationem tum corruptionis nostræ naturalis, tum gratuite promissionis in Christo, ibi tum sua dulcedine attendentium animos allicit, ut terrena hæc ipsis sordere incipiant, & animus ipsorum gestiat abjectis terrenis omnibus, scopum versus ferri, ad destinatum *βραβεῖον* supernæ vocationis Dei in Christo Jesu. Philip. 3. v. 14. Hinc David non tantum Regibus, sed etiam omnibus hominibus dicit, Psal. 2. v. 11. Servite Domino in timore, & *ἀγαλλιάσθε* exultate ei cum tremore. 2. Desiderium hoc sequitur *εἰδησις* visio, seu interna illuminatio, qua per fidem Christum sic amplexantur, ac si Salvatore suum cum omnibus suis beneficiis & thesauris partis coram oculis suis intuerentur. Sciunt enim cui crediderint, & certi sunt, quod potens sit depositum ipsorum servare in illum diem. 2. Tim. 1. vers. 12. 3. Hinc tandem oritur *χαρὰ* gaudium, & conscientiæ tranquillitas, qua in tribulationibus gloriantur, Rom. 5. v. 3. & in media morte lætantur: quia in solo Cristo acquiescunt, nec quicquam esse noverunt, quod ipsos separare possit à charitate Dei, quæ est in Christo Jesu. Romanorum 8. v. 39. & cum Asapho dicunt ex Psalmo septuagesimo tertio. v. 25. Quid est in cælo, aut quid est in terra, quod præ te desiderem? Deficiat sane caro mea & cor meum. Petra cordis mei, & pars mea Deus est in æternum.

VI. Ad finem properat Christi concertatio cum Judæis. Sed qualiter? Num ita, ut Apologia Christi gravi & modesta Judæi moti, errores suos agnoscant, & de emendatione cogitent? Nihil minus. Quin potius protervia & malitia in ipsis crescunt. Nam omisiss omnibus, quæ ad institutionem ipsorum facere poterant, illud unicum arripunt, quod de Abrahamo dixerat, illud irrident, exsibilant & explodunt. Utque id tanto commodius facere possint, verba ipsius invertunt. Nam quod Christus dixerat, Abrahamum diem suum vidisse, nimirum in Spiritu, per fidem, illud ipsi invertunt, & quasi dixisset se Abrahamum vidisse, ogganniunt: *tu nondum habes quinquaginta annos, & Abraham vidisti? qui ante annos 2000. mortuus est.* Hoc nimis absurdum

dom est. Sic nimirum ipsum fontem veritatis mendacii & vanitatis infimulant. Hoc enim est quasi postremum refugium hostium veritatis, antequam ad apertam vim accedant, ut, quos rationibus convincere nequeunt, eos convitiis, calumniis & falsis criminibus obruant, & sic; à vero disputationis scopo abducant. Exempla hujus plura vidit ætas nostra, quam ad posteritatem; si ea imitari velit, prosit. Hic vero notandum: quod Irenæus, vetustissimus scriptor, lib. 2. cap. 40. ex his verbis Judæorum colligat, Dominum majorem annis quadraginta Evangelium prædicasse, & ad ætatem quinquagenariam prope accessisse, cum Judæi tot annos ipsi obsecerint: & confirmat hanc suam sententiam auctoritate eorum, qui hoc se ex Johanne Apostolo audivisse affirmabant. Verum hæc Irenæi sententia, tanquam Evangelistis contraria, ab omnibus rejicitur. Et testatur Eusebius lib. 3. cap. 36. Papiam, qui plus attendit traditionibus Seniorum, quam lectioni sacrarum literarum, Irenæo erroris causam præbuisse. Quod vel unicum nobis traditiones suspectas reddere debebat: cum jam olim antiquis illis temporibus summi Ecclesiæ Patres traditionibus fuerint decepti. Idcirco Deus nos non remittit ad traditiones, sed ad legem & ad testimonium Jes. 8. v. 20. Quidam putant, Judæos omnino exultimasse Dominum plures annos habere, ob gravitatem & maturitatem vultus, & quod ob multum laborem in prædicationibus, vigiliis & orationibus quasi ante tempus senuerit. Sicuti David dicit. Psal. 6. v. 8. se in veterasse & senuisse propter inimicos suos. Et sane cura atque labores faciunt, ut quis ante tempus senescat. Sed hic tantà ἀκερβεία in ista inquirendi opus non est. Judæi ἐν πλάτει de Christi ætate loquuntur, & ultro aliquot annos addunt, ut sic tanto plus absurditatem dicti ipsius evincant.

Cæterum licet Judæi seipfos omni ulteriore institutione indignos redderent, nondum tamen Christus eos deseruit: sed dissimulata calumnia ulterius ipsos de sua persona & dicti sui veritate blande instituire nititur. Dicit ergo: Vester error inde provenit, quod ignoratis meam personam. Vos putatis me esse ψιλὸν ἀνθρώπον, nudum hominem. Et hoc si ita esset, utique Abrahamum non vidissem. Sed scire debebatis, me esse verum Dei filium. Sum enim πλὴν ἀρχαῖο ὅτι ἐξ ἀρχῆς ἦμῖν. Itaque antequam Abraham nasceretur, Ego sum. Meministis ne illud Exod. 3. v. 14. cum Moses inquireret in nomen Messæ, qui ipsum alegebat in Ægyptum ad educendos vestros patres. Ibi nominavit seipsum Ἰησοῦς ἰησοῦς ὁ ὢν. Dic, inquit, filiis Israel, quod Ἰησοῦς, id est, qui sum, te miserit. Ille Ἰησοῦς Ego sum. In filio Dei vita erat ab æterno: & hujus vitæ plenitudo corporaliter habitavit in Christo Jesu. Col. 2. v. 9. Et licet Dominus non ignoraret Judæos hanc informationem non admissuros: tamen ob credentes, qui nunquam Christo sunt defuturi, gravem asseverationem, duplici juramento confirmatam, addit: amen, amen dico vobis. Quapropter nos, utcumq; Judæi tumultuentur, hoc Christi enunciatio firmiter credimus. Quod nimirum Jesus, non tantum sit Mariæ, sed etiam æterni Dei verus filius, quis noster Redemptor & Mediator. Æ-

Harm. Tom. I.

ternam & essentialiam suam divinitatem satis diserte asserit, dum ita distincte de se & Abrahamo loquitur. De Abrahamo non dicit, antequam esset, sed γενέσθαι, fieret seu nasceretur. Tale esse ipsi attribuens, quod non ex se, vel per se suum initium habet: (Hoc enim solius Dei proprium est.) Sed quod aliunde illud accipit. De se autem dicit, ἐγὼ εἰμὶ Ego sum. Tale verbum ipse sibi attribuens, quod significat, ipsum essentialiam suam habere ex se & per se, non per alium, ut qui sit vere & essentialiter Deus. Nam derivatur ex verbo יהוה fuit, ex quo etiam essentialie Dei nomen יהוה Jehova descendit. Huc etiam respexit Apoc. 1. v. 8. dicens: Ego sum α, & ω, principium & finis. ὁ ἀρχὴ, καὶ ὁ ἔσχατος, qui est, qui erat, & qui venturus est, omnipotens. Sic ergo immensum discrimen introducit inter se & Abrahamum; utcumq; Judæi prius dixerint: Nunquid tu major es patre nostro Abraham? Quantum enim discrimen est inter Creatorem & Creaturam, tantum inter Christum & Abrahamum. Quod & Abrahamus ipse videns diem Christi humiliter agnovit. Nam Genes. 18. v. 27. coram ipso prostratus dixit: Quia semel cœpi, loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis & cinis. Significans, se indignum esse, qui consistat in conspectu ejus, & qui ipsum coram alloquatur. Sic ergo illud Ego sum, proprie ad æternam filii divinitatem respicit. Quia vero filius personam Mediatoris apud Patrem sustinuit, etiam antequam incarnaretur; ideo officium mediationis hic non est excludendum. Ipse enim est Agnus ille, qui occisus est ab origine mundi. Apocal. 13. v. 8. Et Christus Jesus heri & hodie: idem & in secula. Heb. 13. v. 8. Ideo Job etiam, qui paulo post Abrahamum vixit, ejus diem vidit, eumque suum Gœla seu vindicem esse testatus est, qui ipsum à peccatis liberaturus, & in novissimo die resuscitaturus sit. Et hunc redemptorem suum jam tum vivere, aperte testatus est. Job. 19. v. 25.

VII. Paulatim hæc Judæi, durante hac dissertatione cum Christo, obstinatores facti sunt, nunc tandem in apertam rabiem erumpunt, Nam tollebant lapides, ut jacerent in eum, ut ita pœna legis, quæ Lev. 24. vers. 16. contra blasphemos lata est, ipsum occiderent. Fuit autem indicium impotentis iræ, & manifesti furoris, quod sine sententia judicis sese ad lapidationem parant, non habita ratione sanctitatis templi, in quo versabantur. Tales tragicos exitus fere etiam habere solent actiones, quas jurati hostes veritatis inter Pontificios cum Evangelicis instituire solent. Experti hoc sunt Hussus, Savanarola, Hieronymus Pragensis, & infiniti alii Christi Hieromartyres. Nam potentissimi Jesuitarum Divi sunt, Vulcanus & Vesta: & firmissima ipsorum refutandi argumenta, gladius atque funis. Quia majorem spem victoriæ ponunt in ore gladii, quam in gladio oris. Papiæ quidem interpretantur zelum. Sed revera zelus iste est canina rabies. Certe Pharisei hi quoque prætenderunt zelum Abrahami, zelum Dei, zelum legis, quæ blasphemus jubeat lapidare. Sed Apostolus dicit esse ζῆλον ἀγνοῦν, zelum sine scientia. Roman. 10. v. 2. Qualis fuit zelus Synedrîi Hierosolymitani adversus Stephanum, Act. 7. v. 54. ubi fredebant cordi-

Aaaaa 2

cordibus, & stridebant dentibus in eum, & postea irruentes in ipsum, eum extra urbem eiecerunt & lapidarunt.

Quomodo vero Christus hic evasit? De eo Evangelista hoc annotat. *Jesus abscondit se, & exiit e templo, pertransiens per medium illorum, & ita praeiit.* Duo de ipso dicuntur, quorum unum est infirmitatis humanae, quod *se abscondit: alterum divinae virtutis & potentiae, quod transiens per medium illorum, praeiit.* Quod eodem modo factum esse intelligo, quo illud, quod Nazarethi Luc. 4. v. 30. accidit, & in cap. 34. Harmoniae hujus expositum est. Quod nimirum ad primum lapidationis impetum Christus quidem se modicum abscondiderit: mox tamen se vertit, & non per alium locum ex templo exierit atque evaserit, sed per medios Phariseos & Sacerdotes, qui ἐκκλιῶσαν αὐτὸν & circumcirca cinxerant, abierit, & quidem ita, ut à nemine nec prohiberetur, nec comprehenderetur, nec læderetur. Viderunt ergo non tantum ipsum abeuntem, sed etiam divinam ejus potentiam senserunt, si forte

adhuc aliqui ipsorum flecti possent. Neque enim Christus vel minimam occasionem internisit, etiam acerrimos suos hostes convertendi. Usque adeo fit salutem humani generis. *Exiit ergo e templo, atque sic Judæis suum templum, Pharisaeis nugis repletum, vero autem Messia vacuum reliquit.* Idem hodie fit apud omnes, qui verbi divini & sacrae scripturae hostes deprehendunt. Habent illi quidem templa sua, eaque interdum satis nitida, ampla & spaciofa: sed si Christo destituantur, nihil aliud sunt, quam delubra Antichristi. Talia sunt templa Papistarum in quibus Canonici boant, presbyteri sacrificant, æditui thura adolent, pueri cereos accendunt, interim de Christo & sancto ipsius Evangelio (quod solum est illa sanctitudo, quæ domum Domini docet in longitudinem dierum. Psal. 93. v. 5.) altum est silentium. Sunt ergo illorum templa proprie sepulchra, in quibus mortui mortuos sepeliunt. Retineamus nos in nostris templis Christum cum suo verbo, ut per illud vivificati vivum Deum laudemus per Christum in secula. Amen.

CAPUT CIV.

DESCRIBENS REDITUM SEPTUAGINTA DISCIPULORUM EMISSORUM, GAUDIUM CHRISTI SPIRITUALE, ET BEATITUDINEM DISCIPULORUM.

LUC. 10. v. 7.

RATIO ORDINIS.

Uotquot ex omnibus Ecclesiasticis Doctoribus, tam veteribus, quam neotericis, Harmoniam Evangelicam scripserunt, illi mox 8. Johannis capti 9. una cum magna parte 10. subjungunt: ac si Johannes totius trimestris historiam, ab initio Scenopegias ad festum Encaniorum usque continue descripsisset. In eo tantum differunt, quod alii quidem hasce historias, emissioni & reditui septuaginta discipulorum præponunt, alii vero easdem postponunt. Et si vero grave est à vulgari hac & quidem tot clarissimorum virorum autoritate comunita sententia recedere: hic tamen rationes non contemnendæ subesse videntur, ob quas bona cum ipsorum pace ab ipsis dissentire liceat. Neque enim i. vere simile est, Christum, qui ante Hierosolymam sesquiannum integrum vitarat, eo quod ipse incolas necem suam meditari novisset, jam post sublatis lapides tres fere menses continue ibi hæsisse, nec quicquam memorabile egisse, excepto unico miraculo de sanato cæco nato, & una concione de bono pastore. Et si maxime quis dicere vellet, Christum Hierosolymis tantisper delituisse ob furorem, quem præcedenti capite re ipsa Judæi commonstrarint: non tamen hoc convenit cum officio Christi, qui fuit lux mundi, & quem oportuit non latitare, sed hodie, cras, & sequenti die ambulare Luc. 13. v. 33. sicque indefinenter officio

suo fungi in salutem hominum. Unde etiam ipse dicit Johan. 9. vers. 4. Me oportet operari opera ejus qui misit me, donec dies est. 2. Si Jesus ad festum Encaniorum usque Hierosolymis mansisset statuatur, supersunt in reliquis Evangelistis, & potissimum in Luca tot historiae, quæ in residuo trimestri vel quadrimestri, ad passionem usque, non commodo ordine collocari possunt, nisi quis nimis anguste eas omnes coartare velit. Sic igitur sunt ordinandæ, ut & ante Encaniorum festum & post illud Christum nunquam ociofum fuisse pateat. 3. In Luca adhuc bis ante passionem mentio fit Christi iter facientis in Hierusalem, semel Luc. 13. v. 22. altera vice Luc. 17. v. 11. & quidem hoc postremo loco iter suum ita instituisse dicitur, ut quasi Hierosolymis veniens, prius Samariam & post hanc Galilæam peragravit. Unde necesse est distributionem historiarum ita instituire, ut post festum tabernaculorum Hierosolyma discessisset, & ad minimum semel ante festum Encaniorum eodem rediisse intelligatur. 4. In historia sanati cæci nati dicitur Johan. 9. v. 22. Judæos conspirasse, ut si quis confiteretur Jesum esse Christum, ex Synagoga eijceretur. Hoc autem decretum absque dubio fecere, post superiorem illam acerbam *σύρραξιν*. Ad ipsius vero publicationem Christus ipsis locum concessit, ad tempus aliquod Hierosolymis discedendo. 5. Necesse quoque est, ut ne obliviscamur

mur